






IOANNIS BVRCHARDI
MENCKENII

DISSERTATIONES LITERARIAE.

OLIM SEORSIM PVBLICATAS,
NVNC IN VNVM CORPVS REDEGIT,
ET CVM SVA
DE
ROMANORVM VETERVM
STIPENDIIS MILITARIBVS
DISSERTATIONE
EDIDIT,
FRID. OTTO MENCKENIVS,
IO. BVRCH. FIL.

LIPSIAE,
APVD IO. CHRISTIANVM MARTINI.
MDCC XXXIV.

PER-ILLVSTRI EXCELLEN-
TISSIMOQVE
DOMINO,
DOMINO BERNARDO
LIBERO BARONI
A ZECH,
DYNASTAE IN SCHMORCKE,
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
POLONIARVM REGIS ET ELECTO-
RIS SAXONIAE INTIMO STATVS
MINISTRO, ET A CONSILIIS
SANCTIORIBVS, etc.

DOMINO AC MAECENATI
INDVLGENTISSIMO,

HEROI IN TOGA INCOMPARABILI,
SAXONICAE SALVTIS FIRMAMENTO
MAXIMO,
MVSARVM PRAESIDIO CERTISSIMO,

SERIS POSTERIS COMMEMORANDO,
MENCKENIANAS HASCE DISSERTATIONES,
ET CVM HIS RES SVAS OMNES

DEVOTISSIMA PIETATE NVNCVPAT
ATQVE CONSECRAT

SVBMISSISSIMVS CLIENS
FRIDERICVS OTTO MENCKENIVS.

I nunc, parue liber, quae cernis, fausta capesse
Auspicia, et nuda simplicitate place.
Nilque time, pudeatque nihil te dicere prolem
Menckenii; decoris non habet ille nihil.
I nunc, laurigeros mecum ingressure penates,
Quam sint Heroum lumina blanda, uide.
Praeque aliis unum, praeque omnibus adspice ZECHVM,
Delicias Regis, Saxoniaeque decus.
Et, modo Menckenii doceas te nomine dictum,
Annuet, et facilem porriget ille manum.
Hunc habuit Phoebum quondam Musa, hisque sub umbris
Pulsauit citharas Menckeniana suas.
Et saepe agrestes numeros audiuerat ingens
ZECHIVS*, indoctum saepe probauit opus.*
I nunc, parue liber, simili nunc utere Phoebo,
Atque eadem posthac fata parentis habe.



LECTORI BENEUOLO
SALVTEM!

Non id ago, vt me iam praeconem merita paterna habeant. Nec, quae per ſe placere poſſunt, nouum praeſentes Diſſertationes ex meis laudibus decus exſpectant. Et norunt omnes MENCKENIVM, et, ſi fuerit ignotus ad hunc diem, uix ego notum facere primus poſſim. Quis enim mihi, ſatis adhuc obſcuro homini, et auctoritatis inter eruditos nullius, temere fidem habeat de aliorum dignitate? Eo inprimis in loco, quo uideri me poſſit in transuerſum rapere tenerrimus erga paren-

tem amor, ſaepe laudes nobis uel inuitis extorquens. Uidetur mihi praeterea odioſa eſſe et inutilis eorum, quae obſtetricantibus nobis in lucem exeunt, omnis commendatio. Nam, ſi pulchra haec ſunt, et plauſu digna publico, quidni Lectoribus potius, ſatis ad id idoneis, hanc laudandi ſpartam relinquis? Si contemta uulgo, atque nihili putanda, adeone, fallere Lectores, uiri boni arbitraris, et in faſtigio te collocatum tanto putas, vt imperare ingeniis poſſis, imperii legumque neſciis? Libera eſt, et nullis Dictatorum faſcibus adſtricta, eruditorum Reſpublica, vbi, quot ſunt hominum ingenia, tot laborum tuorum iudices habes, ſuam vnice normam regulamque iudicandi ſequentes. In quibus ſi qui ſunt, educati liberaliter, et intel-

intelligentes rerum, hi partum elegantem et formoſum laudabunt ſponte ſua. Ceteris omnibus nunquam rectiora perſuadebit laudatio tua. Sint igitur expoſita haec ante oculos omnium MENCKENIANAE ſpecimina induſtriae, quicquid de ipſis ſtatueris, Lector, id ratum habitura. Nec deerunt his forſan, etſi non uocati mihi, laudatores ſui. Neque tamen dicendum hic nihil eſt, ne criminationibus eorum uia pateat, qui, ne inſpecta quidem, condemnare obuia quaeque ſolent. Et intereſt famae meae, ne protuliſſe in lucem dicar, quae ſuis digniſſima tenebris uidebantur. Habes hic, quodcunque literarum elegantiorum genus ſecteris, accommodatiſſima palato tuo, tuique, ſi quid ſcio, ſtomachi futura, fercula,

quibus uel leuiter deguſtatis, cupidiſſime appetes MENCKENIANA omnia. Non fuit ex eorum numero MENCKENIVS, qui ſplendidum Polygraphorum nomen noſtro tempore affectant, inane profecto et ingloriosum ualde, ſi eos audias, quibus datum eſt, ſapienter iudicare. Nec tam numero aeſtimari ſcripta ſua, quam pondere et argumentis rerum, uoluit. Et, vt in aliorum ſcriptis ſcite nouerat, quid ſecum boni ferrent, indicare, ita primam hanc ipſe ſibi legem praeſcripſit, ne, quos excluderet ſubinde, probroſi parenti ſuo partus eſſent. Deditque operam, vt, quae ſcriberet, ſelecta eſſent, nec ante ipſum dicta omnibus. Rariſſimo aetatis noſtrae exemplo, qua vtilia ſcribendi torpet ardor omnis. Sunt

eius

eius generis, quae hic legis, pleraque, pene dixerim, omnia. Habent enim et vſum ſuum, quae leuiſſima uidentur, modo his uelis vti. Ceterum argumenti uides ſingula eſſe hiſtorici, non ſpernendi tibi, ſi quid in te eſt non uulgaris ingenii. Tibi haec ſcribo, in literis liberaliter uerſanti, non his contra famem vtenti. Scilicet poſcebat id ſcriptionis genus publici partim muneris, quo fungebatur Noſter, partim ſtudiorum, quae inde a puero complexus tenerrime fuerat, ratio. Habet Hiſtoricum ſtudium inimicos multos, ſed eos in tenebris natos, et ad perpetuos carceres relegandos. Nam, quae ſua ſe partim ſuauitate commendant, et inuſitata quadam uoluptate animum afficiunt, partim in reliquas artes omnes

vſum ſuum diffundunt, ea quis vnquam uir ſanus faſtidiuit? Hiſtoriam literariam puto, qua nec iucundior eſt vlla, nec ſubtiliſſimis illis ſcientiis coniunctior. Addo, ſine qua inornatum prodibit, quicquid excuderis operum tuorum. Eam, aliorum ueſtigia ſecutus, tanto olim ſtudio ſectatus eſt Parens meus, tantis etiam acceſſionibus locupletauit, vt, ſi *Literariis* hiſce *Diſſertationibus* iungas *Orationes Academicas*, intra hos ipſos dies publicatas, et *Diſputationes*, quas uocant, *Academicas*, proxime ſecuturas, nullum fere in omni literarum Hiſtoria argumentum ſit nobile ac ſingulare, cui non aut primus plane, aut certe inter primos, lucem accenderit clariſſimam. Neque perficere haec tam praeclare feliciterque, niſi ei, licuit,

cui ad manum essent magni Scriptorum omnis aeui exercitus, quorum non manipuli, sed cohortes integrae, in hisce Dissertationibus, uelut in hybernis suis, hospitantur. Quantam enim ad opprimendos optimos conatus uim habeat librorum, quibus opus sit, penuria, ipse nunc magno meo cum dolore experior. MENCKENIANAE Bibliothecae, nunc eheu! non amplius MENCKENIANAE, nec ignotum cuiquam nomen est, nec inexploratae diuitiae. Qua quum nihil magis in deliciis esset MENCKENIO, inter grauissimos illos omnis aeui magistros uersari quotidie, iucundum putabat, hisque, dum uiueret, vsus est familiarissime. Atque eius consuetudinis hunc fructum tulit, vt, quae nec uiris doctissimis cognita satis essent, eorum ipse prae-

cipuam notitiam acquireret, haecque legenda deinde daret ciuibus ſuis, et poſteritati omni. Qualia quum ſint publici ſaporis, et iam MENCKENIANI praeſtantiam ingenii aliunde norit Lector, nihil hiſce *Diſſertationibus* ſiniſtri ominamur. Quin potius operae in eo feciſſe me pretium exiſtimo, quod ſchedas has, ſparſim olim editas, atque ita editas partem maximam, vt nec ſolo vnquam patrio exierint, nec nomen ſingulae MENCKENIANVM praeferant, cura mea partim in manus exterorum ueniant, partim nunc primum Auctori uindicentur MENCKENIO. Occaſionem, qua vnaquaeque harum exiit in lucem olim, docebit te *Index Diſſertationum*, ipſis his, quae iam praefamur, ſubiunctus. Mihi quidem, praeter haec ipſa, quae iam legis, et

rerum notabiliorum Indicem, ad calcem Operis adiectum, pauculasque Annotationes, ſigno † notatas, quod acceptum in his referas, nihil eſt. Nam, quae agmen claudit MENCKENIANARVM Diſſertationum, noſtra *de Stipendiis ueterum Romanorum militaribus* Commentatio, nihil cum ceteris cognationis habet, eo magis animo a me adiecta illis, ne quid iuſtae libelli formae deeſſet, quam quod ad paterna illa habere aliquid momenti uideretur. Breuior haec et reſtrictior iam A. 1729 prodierat, ſed cui tunc praefigere nomen meum, non vna de cauſa inconſultum duxi. Iam in concinniorem ordinem redacta, et limata multum, nouisque Scriptorum teſtimoniis ornata, nec parentem ſuum diſſimulat, nec rigidiſſimos iudices

formidat. Mihi, quicquid de ea exiſtimaueris, perinde fuerit. Non enim, vt doctrinam meam experirer, haec ſcripſi, ſed vt otio meo iucunde fruerer, nec, vt laudes captarem, edidi, ſed ne in tanto Scriptorum huius aeui numero ipſe ſcripſiſſe nihil uiderer. Uale, amice Lector, et MENCKENIANIS hiſce dapibus ex uoto noſtro vtere, nosque, in tuum vnice intentos commodum, porro, quod facis, ama.



INDEX DISSERTATIONUM.

de

ACCEDIT

DISSER-



DISSERTATIO I.

DE

HIS, QUI MILITIA AEQUE, AC DOCTRINA, INCLARUERUNT.

Haud ſatis mihi ex aequo videntur cenſere illi, qui, Marti convenire cum Muſis nequaquam poſſe, produnt. Quin ſapienter veteres Minervam ſtatuerunt armorum non minus, quam literarum, Deam, quae viris, qui caſtra ſequuntur, tum quibus ſtudia curantur, pari ſit praeſidio. Quod ſi enim reſpicere paulisper lubeat hiſtoriam praeteriti temporis, nunquam defuiſſe deprehendemus, qui cum belli ſtudiis artes liberales tam praeclare coniunxerint, ut incertum ſit, utro in genere excelluerint magis. Certe, apud illas gentes, quae bello inprimis claruerunt, dici non poteſt, quantus etiam literis honos fuerit habitus. Neque enim aliis ferme Romanus exercitus, Republica libera, ducibus paruit, niſi doctis Senatoribus: nec Graeci aliis temere, quam Philoſophis, Oratoribus et Poetis,

magiſtratus commiſerunt. Praeterea Galli Druidas & Bardos, Perſae Magos, Hebraei vero iudices aut ſacerdotes, habuere belli duces. Exempla itaque eruditorum militum tanto numero in omni Hiſtoria ſe offerunt, ut mirandum ſit, GABRIELEM NAVDAEVM, virum cetera perſpicaciſſimum, in libro de Studio militari auſum eſſe contendere, diverſiſſima eſſe minimeque coniungenda literarum et militiae ſtudia. Quis XENOPHONTEM, quem primum merito nomino, Oratorem non modo et Hiſtoricum excellentiſſimum, ſed et acerrimum inprimis belli ducem, ignorat? Quin et SOCRATIS, cuius ex Academia prodiit XENOPHON, PLATONISque licebit hic meminiſſe, quos aliquot praeliis interfuiſſe produnt, nec non ALCIBIADIS, qui bellandi ſtudia literarum otio feliciſſime diſpunxit, eodemque uſus eſt doctore in Lycaeo, atque duce in campo, SOCRATE. Praetereo PERICLEM, qui quinquies bello triumphavit, et in eloquentia principatum obtinuit apud Graecos. Nec in ANNIBALE moror, qui Graecas literas apprime callebat, ut hiſtoriam etiam eo ſermone ſcripſerit. Neque hic celebrabo denique ipſum HERCVLEM, qui et ſummus Graecorum imperator, et Muſarum dux quidam credebatur, quemque eapropter digniſſimum Romae putabat

bat olim Fulvius, cui Aedem faceret in Circo Flaminio. Illud dissimulari non potest, veteres per literarum studium haud raro ad summa belli imperia viam affectasse. Sic enim PHRYNICHUM in veteri Atheniensium Republica tragoedia meruisse, ut summus dux exercitus crearetur, AELIANUS autor est; in Dania vero, si SAXONI GRAMMATICO credimus, defuncto Frothone, dignus omnibus propter carmen patrio sermone tumulo illius inscriptum visus fuit HIARNUS, qui et militiae et universo regno deinceps praeesset. Atque id sane Romae aliquando praecipuum fuit et plane singulare, ut, quo quis alios magis excelleret sive in pace, sive in bello, eo impensius amaret literas. SCIPIONI certe AFRICANO liberalia studia omnisque doctrina tanto in pretio fuere, ut non POLYBIUM modo, PANAETIUMque, praecellentes ingenio viros, sed ipsum quoque Romanae poeseos patrem, ENNIUM, ubivis haberet expeditionum suarum socios; ut triumviri adeo etiam illi non minus videantur bello delectati, quam carmine et Musis. Verum sunt et inter ipsos Romanorum Imperatores, qui armis non minus, quam doctrina, excelluerunt, HADRIANUS, Orator, qui Orationibus suis, in laudem TRAIANI scriptis, an expeditionibus bel-

licis creberrimis, Imperatoris animum magis devinxerit, viamque ſibi ſtraverit ad ſupremum illum honorem, incertum eſt. ANTONINVS deinde, atque VERVS, Philoſophi: IVLIVS, AVGVSTVS, TIBERIVS, CLAVDIVS, NERO, DOMITIANVS, NERVA, TITVS, SEVERVS, BALBINVS, GORDIANVS, ALBINVS, MACRINVS, GALLIENVS, NVMERIANVS, IVLIANVS, GRATIANVS, THEODOSIVS, Poetae omnes. Acceſſit his multis poſt Seculis CAROLVS MAGNVS, uti Poeta inſignis, ita Theologus quoque bellicoſus, modo illius eſt, qui ſub nomine CAROLI contra imaginum cultores ſuperiori Seculo prodiit in Gallia, libellus. Nec tacendus noſtro aevo eſt LEOPOLDVS invictiſſimus, qui, quantum armis adiicit imperio, tantum domi ſtudia promovet et literas. Regum deinde quam prolixum nectere catalogum poſſem, ſi luberet. Quos inter nominandus foret MATTHIAS CORVINVS, bello non minus inclytus, quam linguarum ſcientiſſimus, quique literatos, quos excellentiores compererat, omnes in aulam adſciſcebat, et egregiam Budae Bibliothecam excitabat. Sed primas forte tenet Galliae Rex, FRANCISCVS I, Heros incomparabilis, qui Graecos, Latinos et Gallicos verſiculos ſcribebat non inelegantes. Atque, ut ali-

os

os taceamus, vix praeteriri poteſt hodiernus Galliarum Rex, LVDOVICVS XIV, qui, cum toto pectore Martem ſpiret, tamen nec literarum nullam plane curam habet, teſte, etſi non omnibus forte viſo, quod ipſe compoſuit, Opuſculo: *Traduction du Livre I de Jule Ceſar, par LOVYS XIV, à Paris, 1661, de l'Imprimerie Royale.* Verum properandum ad ceteros eſt. Quis enim neſcit bello atque literis clariſſimum virum, IOANNEM ZAMOYSCIVM, Poloniae Cancellarium, cuius pulchre vitam deſcripſit ADAMVS BVRSIVS, quem una cum SIMONE SIMONIDE, SIMONE BARKOVIO, aliisque viris apprime doctis, in Academiam abs ſe conditam Zamoſcum invitaverat. Huic et Polonia libertatem et Respublica literaria de Senatu Romano libros duos acceptos refert, ut alios taceam ingenii excellentioris fœtus, quos tanto magis admirantur omnes, quanto accidit rarius, ut viri in aula non minus, quam militia, aſſidue verſati libris componendis operam impendant. Tametſi, quod Academiam inter bellica negotia erexit, in eo paria fecit cum FRANCISCO XIMENIO, Cardinali. Is enim, cum Alcalae in Vniverſitate amplificanda et largis Profeſſorum ſtipendiis ornanda totus videretur occupari, bellorum curam adeo non ſeponebat,

ut tum inprimis de inferendo Mauris bello consilia agitaret; expugnato vero in Africa Orano, rursus Alcalam revertebatur, quasi victoriarum oblitus, unamque gerens Academiae suae curam. Nihil addam de illius in procuranda editione Bibliorum Chaldaica, Hebraica, Graeca et Latina, constante et perpetuo studio. Huic ut minime literarum, ita nec bellica, gloria multum cessit, civili autem negotiorum prudentia etiam praeivit, GVILIELMVS BELLAIVS, qui demandatam a FRANCISCO I provinciam gloriosissime sustinuit, multis praeliis confectis, multis oppidis superatis. Atqui eius facundia in aliquot legationibus maximopere enituit, neque vulgarem eruditionem sapiunt, quos edidit, rerum Gallicarum Commentarii. Habet enim hoc veluti proprium BELLAIORVM familia, quod utraque laude excellat, quippe fratres illius MARTINVS et IOANNES ambo fuerunt doctrina singulari, ambo bello clarissimi. Sed, quoniam ad Gallos ventum est, non possum non commemorare PHILIPPVM MORNAEVM, Plessiaci Marliani Dominum, Salmurii praefectum, qui, belli atque pacis studia pari diligentia sectatus, suo insistebat Symbolo: *Arte & Marte.* Eo enim usum fuisse, docuit me COLOMESIVS in *Miscellaneis Historicis.* Libros certe

eius

eius *de Myſterio iniquitatis*, *de S. Evchariſtia*, aliosque complures, mirantur hodie omnes, neque nocuit illis acerrima PERRONII cenſura, qui, ut MORNAEI famam aboleret, aut debilitaret ſaltem, dies noctesque examinandis illis conſumſit. Enimvero fuere alii, qui et in Theologiam feliciter incubuerunt, et haud improſpere pugnarunt in campo. Vt enim NORTONVM KNATCHBVL et GVILIELMVM DVRANDVM taceam, omnium maxime illuſtre exemplum nobis praebet CROMVVELIVS. Namque is non Oxonii modo adoleſcens, ſed deinceps quoque, Theologiae ſtudio mirifice deditus erat, ut ad Eccleſiaſticam dignitatem magno animo contendere videretur; et, quanquam, ut ad utramque fortunam paratus eſſet, bis militatum iverit in Galliam, ſtudium tamen illud adeo non neglexit, ut Theologus miles omnium conſenſu Lutetiae appellaretur. Quos deinde libellos is in publicum emiſerit, quoties ex ſuggeſtu verba ad auditores fecerit, quam pertinaciter pugnaverit, nihil attinet hoc loco prolixius recenſere. Neque abfuit a ſtudiis FAIRFAXIVS, ſupremus Parlamenti dux, quanquam Iuris ſcientia magis delectatus. Neque enim ſupremos in Iure honores detrectavit, cum iter forte faceret per Oxonium. Paene omiſeram IVLIVM

CAESAREM SCALIGERVM, quem, mirum eſt, ad tantam ingenii laudem proceſſiſſe poſt viginti annorum moleſtam ſatis militiam, ſiquidem et MAXIMILIANO Caeſari pugnavit primum in Italia, et deinde in Gallici nominis hoſtes arma ſua lubens convertit, tantus bello dux, vt, ſi graviſſimi Autoris cuiusdam iudicio ſtemus, omnes illius aetatis nobiliores duces non modo admirabili artuum agilitate et robore, ſed et militari prudentia, vel aequaret, vel etiam anteiret. Non attingam COELIVM RHODIGINVM, IACOBVM PALMERIVM, HENRICVM SAVILE, ISAACVM VVAKE, GEORGIOS CAREVV et HARTINGVM, atque alios, quorum fecit mentionem Cl. ALMELOVEENIVS in Dedicatione Epigrammatum veterum. Prodeat potius e noſtris eruditionis laude nemini ſecundus, HENRICVS KIPPINGIVS. Is, ut traditum accepi a viris, quibus ipſe narraverat, e ſchola, quod a lectione claſſicorum Autorum, qua mire delectabatur, a praeceptoribus arceretur, et contra ad ediſcenda Logices praecepta ſummo cum rigore adſtringeretur, profugus caſtra miles gregarius ſecutus eſt per aliquod tempus. Cum vero primarius quidam Regni Sueciae Miniſter illum offenderet in excubiis librum legentem, ac, tu quid legis? rogaret; ille,

ille, mutato minime vultu, *Curtium*, respondet: etiam intelligis? ait ille: ſatis, vt arbitror, iterum KIPPINGIVS: tum iuſſus exponere *Curtianam* aliquam Orationem, ita ingenium viro probavit, ut is eum exemerit militum cohorti, ſuaeque Bibliothecae, quae erat inſtructiſſima, praefecerit, ſcholaſtico deinceps muneri in Bremenſi, quod Eccleſiae Cathedrali innexum eſt, Gymnaſio admotum. Iam ſpeciatim Poetarum inire magnum numerum poſſem, qui bello fuere delectati, ſi id praeſtitutae chartae breuitas ſatis pateretur. Sed aliquos recentiorum inprimis commemorare licebit, velut in transcurſu. Quos inter primus animo occurrit MICHAEL TARCHANIOTA MARVLLVS, qui nec ipſe in Poematum, in quibus omnes Latinae linguae diuitias videtur exhauſiſſe, Dedicatione militem ſe diffitetur, et ab iis, qui vitam eius conſignarunt, in Italia inter alarios equites ſuſceptus Nicolao Ralla duce perhibetur. Sequatur hunc, quemadmodum aetate, ita ordine, LVDOVICVS CAMOESIVS, Poeta inter Luſitanos, ſiue epicum ſpectes, ſiue lyricum carmen, omnium facile confeſſione praeclariſſimus, praeterea linguae Latinae, Philoſophiae, et varii generis antiquitatum, ſcientiſſimus. Is quidem per ſedecim annos caſtra ſecutus eſt, extra pa-

triam ad Africae oram maritimam ſtipendia capiens primum, deinde ad Indos etiam ipſos et Sinas delatus. Sed ad Gallos abeamus, quos inter exercitum merito ducit FRANCISCVS ESPINAEVS SANLVCIVS, qui literas cum artibus militaribus, ſi quisquam alius, feliciſſime coniunxit. Erat vero animo imperterrito et acri, cumque in Henrici III, apud quem plurimum gratia primum valebat, odium incurriſſet, Broagium ſe recepit, ubi quandam veluti eruditorum Academiam erexit, verſusque compoſuit bellulos atque delicatos, affectis etiam *de re militari* Commentariis. Vt deinde novis litibus ſeſe ingeſſerit, et ſub FRANCISCO, Regis fratre, fortiter pugnaverit, demumque in Ambiani obſidione glande caput ictus occubuerit, prolixe non repeto. Succedant huic NICOLAVS RAPINVS et PETRVS RONSARDVS, uterque Poeta, uterque infeſto contra Proteſtantes animo, ſed hic latrocinio clarior et ſatyra, qua, quos ferro non poterat, velut alter ARCHILOCHVS, necabat. RAPINVS vero praeclariſſimam hanc a ſuis laudem obtinuit, ut doctiſſimus miles et fortiſſimus conſiliarius audiret. Quibus haud invitus iungo nobilem virtute bellica REMIGIVM BELLAQVAM, RONSARDO propter poemata minime contorta *pictorem naturae* ap-

appellatum, quemque in Pleiada Poetarum Gallicorum retulere veri carminum aestimatores. Nec omittendus denique est ROGERIVS DE RABVTIN, Comes DE BVSSY, qui nec literas mediocriter degustavit, et variam in bello fortunam est expertus, id quod vel ex ipsius ROGERII Commentariis historicis abunde constat. Quemadmodum autem linguae patriae ita fuit gnarus, ut et in Academiam Gallicam adscisceretur, et nunc ab omnibus putetur tersissimus scriptor; ita inprimis etiam carminum laude maximopere excelluit. Ceterum nobis Germanis non ignobile est PETRI LOTICHII SECVNDI nomen, quippe qui inter ipsos armorum strepitus versus scripsit adeo concinnos, ut Germanorum audiat passim *Ovidius*. Neque mirum adeo, eum de obsidione Magdeburgica tot ante annis carmine plane Sibyllino fuisse vaticinatum. Cui nescio iure an iniuria iungam VLRICVM HVTTENVM, qui a MAXIMILIANO Poeticam lauream impetravit, qua sic sibi placebat, ut pingi se curaret ferreis tegumentis indutum, lauroque, velut corona triumphali, coronatum. Neque sane in poesi quoquam illo tempore fuit inferior, atque alia edidit scripta complura. Militiam vero exercuit primum in Italia sub MAXIMILIANO, deinde et contra

VL-

VLRICVM VVurtenbergicum ſtrenue pugnavit, veteris nimirum iniuriae memor, quod is Princeps agnatum ſuum trucidaſſet. Praetereo tot Italorum, Anglorum et Belgarum, poetas bellatores. Vnum tacere nullo modo poſſum inter Belgas ſummum Poetam et plane *Propertium*, IANVM BROVKHVSIVM, qui multis expeditionibus bellicis interfuit non ſine gloria, carmina vero non pauca inter arma ſibi nata eſſe, faſſus eſt paſſim in elegantiſſimo Carminum faſciculo; exorandus ceterum idem, ut, quas prelo dudum paratas habuit domi, luculentiſſimas in *Propertium* lucubrationes orbi erudito amplius ne invideat. (†) Tantum itaque abeſt, ut, qui literas tractant, ad arma inepti cenſeri debeant, vt potius in utroque genere excellere ſimul, et primas velut tenere poſſe, quibus de meliore luto ficta ſunt praecordia, tot exemplis abunde affatimque firmetur. Vtinam vero non ipſi inter ſe colliderentur ſubinde eruditi, bellaque inteſtina gererent! Sed bone Deus, quibus turbis ac litibus Literaria etiam Reſpublica nunquam non obnoxia fuit? certantibus inter ſe de principatu tot viris cetera doctiſſimis, ac de inani ſaepe gloria potius, quam de veritate di-

(†) Prodiiſſe poſtea A. 1702 Amſtelaedami *Propertium*, nec non A. 1708. *Tibullum BROVKHVSII*, inter omnes conſtat.

digladiantibus. Sane enim, si pleraque intueamur eruditorum dissidia, plurimum affectibus, veritati fere parum, dari, deprehendemus. Itaque, quoniam Historici est, non ea modo cognoscere, quae in Ecclesia et Republica gesta sunt, sed literarum quoque fata habere explorata, tum vero eruditorum dissensiones et bella, eorumque non minus causas, quam eventus, nosse, apud animum meum constitui, *Professionem Historiarum*, quam, vocato in supremam cathedram, qui summa cum laude eam hactenus sustinuit, Celeberrimo RECHENBERGIO nostro, *Serenissimus ac Potentissimus Dominus, Dominus FRIDERICVS AVGVSTVS, Rex Poloniarum, et Saxoniae Elector, Dominus noster longe Clementissimus*, ceterique huius Academiae *Nutritii, Serenissimi Saxoniae Duces, Domini nostri Clementissimi*, benignissime mihi demandarunt, solenni, sed brevi, Oratione auspicari, in qua *de causis bellorum inter eruditos* (†) verba faciam, nec verba tamen papavere et sesamo sparsa, sed quae Historico magis, quam Oratori, conveniant. etc.

(†) Hanc proxime leges in Volumine *Orationum Menckenianarum*, quae iam sub prelo sudant.

DIS-

DISSERTATIO II.
DE
MINDELHEMIO, SVEVIAE VRBE AC DYNASTIA, A. MDCCV IN PRINCIPATVM IMPERII EVECTA.

Vienna Auſtriae nuperrime perſcriptum, Stepneium, Britannorum Monarchae ad Auguſtiſſimum Imperatorem Legatum, inde Auguſtam Vindelicorum die XIII menſis Maii abiiſſe, ut Principatus novi Mindelheimenſis incolas Marlburio Germanico, ita in Thematibus Oxonienſibus, Calendis Ianuariis A. MDCCV publice propoſitis, nominatur, fidelitatis iuramento adſtringeret. Principatui ab urbe Mindelheim ad Mindelii in Suevia ripam nomen eſt, de qua apud CASPAREM BRVSCHIVM (a) ſequentia legimus:

Eſt locus in Suevis, ubi multo gurgite aquarum
Mindelius celſi currit ab arce iugi,
Et parvam eiusdem mox nominis alluit urbem,
Quae breve de fluvii nomine nomen habet,
In qua vivebat nuper Fronsbergius, heros
Militia, armorum dotibus atque potens.

Haec

(a) In *Chronologia Monaſteriorum Germaniae p. 596.*

Haec non confundenda cum Mundelsheimio ad Nicrum, Wurtenbergicae potestatis. Vetustum omnino esse Mindelheimium, vel hinc apparet, quod in ludis equestribus, in urbe Tigurina a Welphone seniore, Bavariae et Spoleti Duce, anno a nato Servatore MCLXV celebratis, inter Suevicos nobiles pugnaverit Fridericus aliquis a Mindelheim. Seculis proximis Mindelheimii possessores Domini de Mindelberg appellantur, cuius nominis arx a Mindelheimio versus Fuggerorum hodie ditionem parvo itinere abest. Certe MARTINVS CRVSIVS (b) illud sequentibus docet: Fundatum est circa A. C. MCCLX Mindelheimense coenobium VVilhelmitarum Ordinis in vico Berdernovv a nobili et strenuo Viro Schwighardo vel Schwiggero a Mindelberg seniore, Equite aurato, et eius coniuge, Elisabeta Baronissa de Aicham. Translatum vero est in oppidum Mindelheimium, juxta Mindel amnem loco admodum amœno situm, et quod regalem in propinquo monte arcem habet, a Schvviggero secundo, nobili de Mindelberg, & eius uxore prima, Hedvvige. Istud coenobium postea A. C. MCCXC ab Henrico, Domino Mindelbergensi, traditum est Canonicis Regularibus S. Augustini. Ce-

(b) *Annalium Suevicorum Part. III Lib. II Cap. XII p. 90, et Cap. XV p. 105.*

Ceterum et Mindelberga et Mindelheimium, bello inter Ludouicum Bavarum et Fridericum Leopoldumque Austriacos fervente, igne ac praedationibus misere fuerunt destructae anno circiter MCCCXXIV. Deficientibus in Shvvigero iuniore, ita quippe vocatur, Dynastis Mindelbergicis, ad Hohenschlitzios, (Hochschlitzii etiam scribuntur,) Mindelheimium pervenit. Sic Waltherus Hochsclitzius de Kirchheim, Conradi in Italia magna cum laude Vicarius, A. MCCCLXV factus est Dominus Mindelheimii. At Friedericus, Dux Teccensis, paulo post Hochschlitziis Mindelheimii Dynastiam vi eripuit, ortis inter Senatum et Episcopum Augustanum Bavarosque dissidiis. Cum igitur Marquardo, Episcopo Augustano, Patriarchatui Aquileiensi praefecto, VValtherus A. MCCCLXIIX in Episcopatu successisset, Hohenschlitzii agnati, vt VValtherus arma caperet, instantissimis precibus effecerunt. Cingitur Mindelheimium obsidione, ariegitur Mindelheimium obsidione, ariegibusque verberatur. Contra Teccensis vim omnem sustinet, subsidiis fultus Comitum, VVerdenbergensis, Veringensis, Zollerani, aliorumque plurium. Quin Episcopus, quodam die incautius ambulans in castris oppido imminentibus, lethali telo Alberti Comitis VVerdenbergensis, ex

ex arce Mindelheimii emiſſo, illico occubuit die S. Franciſci A. MCCCLXIX, atque, ſoluta ſtatim obſidione, Auguſtae in ſummae Baſilicae ſacello, D. Agneti ſacro, ab Hohenſchlitziis olim fundato, cum publico luctu humatus eſt. Vita vero Fridericus, Teccenſis Dux, hactenus Mindelheimii poſſeſſione retenta, et arce ibidem in monte S. Georgii ſplendidius inſtaurata, A. MCCCLXXXIX functus eſt. Friderico filius, Vlricus, ſuccedebat, cuius liberalitate A.MCCCCIX parochialis Eccleſia Mindelheimii fuit condita, cum maius templum, D. Chiliano dedicatum, A. MCCCCXLV demum ſit exſtructum. Ceterum filia Friderici Teccenſis Vito a Rechberg et Hohenrechberg, Equiti, qui Concilio Conſtantienſi quoque interfuit, Alberto a Rechberg vero filius unicus exſtitit, nupſerat, cui inter liberos quinque Albertum et Beronem, ſive Bernhardum, peperit, quorum poſterior, mortuo Ludovico, Duce Teccenſi, Mindelheimenſem ditionem a cohaeredibus emit, finem vivendi autem A. MCCCCLXII fecit. Ita Rechbergii Dynaſtiam obtinuerunt usque ad annum MCCCCLXXXVII, quo Beronis ſenioris filii, Georgius et Bero iunior, quod ἄτεκνοι eſſent, Vlrico a Freundsberg, ſiue Fronsberg, Equiti, et Suevici foederis auctori, Barbarae, filiae Beronis ſenioris, marito,

rito, fratrique ipsius Ioanni, Mindelheimii dominium vendiderunt. (c) Vlrici Fronsbergii et Barbarae Rechbergiae filius, Georgius, Mindelheimii A. MCCCCLXXV natus, immortale virtutibus nomen dignitatesque maximas militari experientia sibi peperit, Parentis vestigia Caspare Fronsbergio industria strenua legente. Georgius ille, Imperatoribus Maximiliano I et Carolo V, in tot obsidionibus, tot praeliis, tanta prudentia, fortitudine tanta, quin felicitate tanta, militavit, ut Maximiliano victoriam, a Philippo Palatino et Boiohemis A. MDV die XII Septembris in Ratisbonensi agro reportatam, alias item contra Venetos obtentas, multum facilitaret; Carolo autem totum exercitum, a Francisco, Galliarum Rege, in Belgio interclusum, A. MDXXI conservaret; imo vero unus propemodum esset, cuius cum peditatu Germanico tempestivo aduentu Mediolanensis Ducatus vindicari, Ticinum obsidione Gallorum liberari, quin Rex ipsorum, Franciscus I, die Matthiae A. MDXXV vinci et capi potuerit. Id praebitis literis publice testati sunt Franciscus Sfortia II, Mediolanensium Dux, Carolus, Dux Borbonius, et Antonius de Leva, Locumtenens Generalis Maiestatis Caesareae, a qua ipsa Georgius totius peditatus Ger-

(c) Confer *Notitiam Procerum Germaniae Lib. VII Cap. XI num. III p. 1211.*

Germanici ſupremus ductor, et Comitatus Principalis Tyrolenſis Gubernator, declaratus fuit. Edita eſt *Francofordiæ A. MDLXXII* (†) *Hiſtoria Patris et filii, Georgii et Caſparis, Fronsbergiorum, in folio*, propediem, nobis obſtetricantibus, recudenda, (††) in qua longe plura prolixius commemorantur, quam quorum epitomen haec charta caperet. Ceterum non ſolum mortuus A. MDXXVIII Mindelheimii Georgius, ſed, familia ipſa Fronsbergiorum tandem extincta, Mindelheimenſem Dynaſtiam Bavarus iure caducitatis, ut verba in *Notitia Procerum Germaniae* (d) ſonant, ſibi aſſeruit. Monumenta egregiorum Virorum et Matronarum Mindelheimii fuere poſita. Sepulti quippe ibi jacent Henricus a Mindelberg, cum uxore Anna, Comite VVerdenbergenſi; Suiggerus iunior, Mindelbergiorum ultimus, cum uxoribus Hedvvige, et Catharina a Friberg; filii Suiggeri ſecundi, monaſterii fundatoris; Duces quidam Teccenſes; Dynaſtae aliquot a Rechberg; Georgius, Caſpar, aliique, Fronsbergii. Inſuper ibi ſepultura nobilium Mangoldorum eſt. Ex iis, quae allata ſunt hactenus, manifeſtum

(†) Autore ADAMO REISNERO, et quidem ſermone nobis patrio.

(††) Non, quantum meminimus, conſilium hoc executus eſt poſtea MENCKENIVS.

(*d*) *Lib. II Cap. VI num. XVI p. 85.*

opinamur, Mindelheimenſem Dynaſtiam, ſacri Romani Imperii in circulo Suevico immediatum Statum, digniſſimam fuiſſe, quam, ubi rebelli Bavaro gladio erat ademta, Auguſtiſſimi Imperatores, Leopoldus et Ioſephus, in Principatum S. R. Imperii facta eiusdem mutatione, Marlburio Duci, de Suevia non ſolum, ſed univerſo Imperio, Maieſtateque Imperatoria, quin Europa tota, Ludovici XIV inſatiabili ambitione miſere tot luſtris afflicta, immortaliter merito, in perpetuum attribuerent. Elargita fuerat Britannorum incomparabilis Regina, Comitiis regni annuentibus, VVoodſtochiae et VVottoniae Dynaſtias, haereditatis addito iure, Marlburio Duci, exercitus Britannici fortiſſimo feliciſſimoque Ductori ſummo, utpote cuius prudentia, conſiliis, ipſo etiam opere, Deo benedicente, Eugenio item Sabaudo ſtrenue aſſiſtente, univerſa belli ſcena, quanta quanta fuerat, in melius mutata. Imperatoria ergo Maieſtas, clementia nulli Monarcharum cedens, ſimile ſpecimen edere, dato Mindelheimii Principatu, clementiſſime voluit. Latiſſimus dicendorum campus nunc pateſceret, ſi brevitas debita, et inſtituti noſtri ratio, digreſſiones paterentur. Videlicet praemia nominanda ſunt, quae in caſtris Muſarum cum laude militantibus propediem ſunt tribuenda. etc.

DIS-

DISSERTATIO III.
DE
DIRIS IMPRECATIONIBVS, QVAS LIBRIS, TABVLIS ET MONVMENTIS ADDIDERE VETERES.

CVm locupletissimam Bibliothecae *Gudianae*, publica auctionis lege Hamburgi mense Augusto proximo distrahendae, Catalogum nuper inspicerem, non potui satis admirari ingentem illum thesaurum, et vere ita se habere intellexi, quae magnifice ante complures annos de Bibliotheca ea praedicaverat summus MORHOFIVS. *Tanta est*, inquit, (a) *in illa Manuscriptorum Codicum, et antiquissimorum, et rarissimorum, copia, is selectus, ut vel cum Regiis contendere Bibliothecis possit. Cum hoc primum mihi ingredi sacrarium daretur, in Latium et Athenas veteres reductus, et in ista rerum varietate totus mihi stupere videbar.* Plura, quibus Bibliothecae huius laudes decantantur, transscribere nolo. Lubenter tamen huic iudicio adiungo aliud Viri cuiusdam Praenobilissimi, qui ita censet in literis nuper ad me scriptis: *Ecce! immensam copiam MSCtorum, utique supra fortunam atque opes ho-*

(a) *Polyb. Lib. I Cap. 7 in fine.*

hominis privati. Dic mihi, ex qua machina potuerit GVDIVS ad iſtam copiam MSCtorum adſpirare, an iure theſauri in illam ſupellectilem delatus ſit, an iure furtivi amoris, an ex donatione alicuius poſſeſſoris in Italia vel alibi? Tum vero nunquam credam, tantum acervum MSCtorum ſub communem ſortem auctionis poſſe redigi, aut verius ludibrio exponi. Sic enim fiet, ut optimi Codices forte in manus illorum perveniant, qui verum iſtorum pretium non intelligunt. Totum autem apparatum quis ſumtibus ſuis emat? Regias opes poſtulat. Eſt enim exemplum hoc ſupra captum plurimorum Germanorum. Tu ergo edocebis me, ita rogo, quid ſentiant veſtrates de deplumanda iſta aquila. Nec enim diſſimulo ſtimulos meos, qui me hic valde urgent. Equidem rariora quaedam MSCpta huc transferre e Bibliotheca hac nolo, quae inter principem locum meretur optimo iure PHOTII, Patriarchae Cooſtantinopolitani doctiſſimi, *Etymologicum magnum linguae Graecae*, quod ut in manus perveniat viri alicuius eruditi, qui publico illud ulterius haud invideat, etiam atque etiam optamus. Illud tantum hoc loco obſervare conſtitui, quod adeo de ſcriptorum ſuorum integritate ſoliciti fuerint veteres, vt diras etiam imprecationes adiecerint adverſus eos, qui minorem in de-

ſcri-

ſcribendo induſtriam adhibuerint. Ita in Codice *Chronici* EVSEBII HIERONYMI (b) haec praemiſſa leguntur: *Adiuro te, quicunque hos deſcripſeris libros, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum et glorioſum eius adventum, in quo veniet iudicare vivos et mortuos, ut conferas, quod deſcripſeris, et emendes ad exemplaria ea, de quibus transſcripſeris, diligenter. Et hoc adiurationis genus ſimiliter transſcribas, et transferas in eum Codicem, quem deſcripſeris.* Tum in IOANNIS CABALLINI DE CERRONIBVS *Libris X de Virtutibus et dotibus Romanorum* (c) haec in fine notata deprehenduntur: *Quicunque huius opuſculi et opificis tantillum deleverit, et ſibi uſurpare praeſumſerit, cum Anna et Caipha poenas participet infernales.* Haud multum his abſimilia ſunt, quae apud ECCONEM REBCOVIVM (d) in Praefatione metrica ad Ius Saxonicum legimus, quae ita ſe habent: Groſſe Angſt gehet mich an, Ich fürcht ſehr, das mancher Man, Dis Buch wölle mehren, Und beginne damit recht zu verkehren, Und ziehe ſich deß an mich, So weiß mich doch GOTT unſchuldig, Denn den kan niemand betriegen, Er weiß wol, daß ſie lie-

 gen,

(b) *Bibl. Gud. p. 566.*
(c) *p. 576.*
(d) *Edit. Melch. Kling.*

gen, Deß kan ich nicht bewaren, Alle, die unrecht fahren, Und felschen an diesem Buch, Den send ich diesen Fluch, Und die Unrecht hiezu schreiben, Die Maselsucht muß an in bleiben, Als sie Gehasi thet, Von Eliseus Gebet, Davon Naaman ward erlöst, GOTT, Heyland und Trost, Der rechs an in also, Das es die Seele nicht werde unfro, HERR rech es an dem Leibe, Deß Teuffels handfeste bleibe, Jr schrifft, das er sie hab gewiß, Dieweil sie unvertilget ist, Wer des Teuffels ohn ende Wöll sein der sende Jm diß Urkunde, Und fahr zu der Hellen Grunde. Quae cum apud me perpendo, subit animum, quod horrendae passim in veterum monumentis et tabulis occurrant execrationes. Singularis ipsis etiam gentilibus cura sepulchri fuit, eoque male iis precabantur, qui tumulum vel Manes suos violare ausi fuerint. Refert REINESIVS (e) inemendatam hanc Inscriptionem:

C. IVLIVS. C. L.
BARNAEVS
OLLA EIVS SI QVI
OVVIOLAVIT AD.
IFEROS NON RECIPIATVR

Idem aliam affert:

QVISQVIS. HOC. SVSTV
LE

(e) *Inscr. Class. XVII n. 168.*

LERIT. AVT. LAESERIT
VLTIMVS. SVORVM
MORIATVR

Durior eſt execratio, quae apud FERRETIVM (f) legitur:

LAESERIS. HVNC. TVMVLVM
SI. QVISQVIS. IN. TARTA
RA. PERGAS
ATQVE. EXPERS. TVMVLI
LAESERIS. HVNC. TV
MVLVM.

Sed plures eius generis clauſulae ex ipſo GRVTERO (g) excerpi poſſunt, ut: HABEBIT SACRA ISIDIS ILLIVS QVIETAE IRATA; porro (h): MANES IRATOS HABEAT, item: MANIVM NVMINA IRATA SVNTO, et quae ſunt aliae. At turpicula dirarum obnuntiatio illa eſt, quam, a doctiſſimo VGHELLIO in ſchedas Barberinas relatam, exhibet Vir inſignis, RAPHAEL FABRETTVS: (i)

L. CAECILIVS. C.
ET. C. L. FLORVS
VIXIT. ANNIS. XVI
ET. MENSIBVS. VII. QVI
HIC. MIXERIT. AVT
CACARIT. HABEAT

(f) In *Muſis lapidar.* p. 148.
(g) *Inſcr. pag.* DCCCCXVII. I.
(h) DCCCCXXII. 3.
(i) *Inſcr.* p. III.

DEOS. SVPEROS. ET
INFEROS. IRATOS.

Verum et Christiani similes formulas, Paganorum exemplo, in sepulchris admiserunt, qualem Romae ad viam Nomentanam prope sphaericum Sanctae Constantiae templum observavit MABILLONIVS: (k)

MALE. PEREAT. INSEPVLTVS
IACEAT. NON. RESVRGAT
CVM. IVDA. PARTEM. HABEAT
SI. QVIS. SEPVLCRVM
HVNC. VIOLARIT.

Plures Christianorum execrationes, quas contra REINESIVM (l) pietati et mansuetudini minime difformes probat, recenset FABRETTVS (m), quales sunt: SI. QVI. HVIC. LOCO. MANVS. IN TVLERIT. HABEAT. DOLO REM. MEVM. QVEM. EGO. HA BVI. deinde: SI. QVIS. LOCVM. ISTVM. BIOLABERIT. PARTEM. ABEAT. CVM. IVDA. TRADI TIOREM. DNI. NOSTRI. IHV. XPI. AMEN. denique: ET. SI. QVIS. SE. PRAESVMSERIT. CONTRA. HVNC. TVMVLVM. MEVM. BIOLARE. ABEA. INDE. IN

(k) *It. Ital. T. I P. I p.* 149.
(l) *Class. XX n.* 440.
(m) *l. c. p.* 110.

INQVISITIONEM. ANTE. TRIBV NAL. DNI. NRI. Sic et, in aris ipsis imprecationis formulas deprehendi, MABILLONIVS (n) docet, et, Romae in horto quodam basin arae profanae offendisse se, testatur, cum hac Inscriptione:

QVIS. HANC. ARA
LAESERIT. HABEAT
GENIVM. IRATVM
POPVLI. ROMANI
ET. NVMINA. DIVORVM

Quin nonnulli adeo perversi fuere, ut sepulchris suis neminem, et ne quidem haeredes suos, inferri paterentur, diris contra eos execrationibus vibratis, qui secus fecerint. Docet hoc pulchre satis IOANNES BONIFACIVS in rarissimo Opere *de Epitaphiis componendis*, (o) Capite secundo, ubi inter alias sequentem profert Inscriptionem:

SEX. VALERIVS. MERCVRIA
LIS. AVGVR
T. LABICO. FESTIVO. ALVMNO
DVLCISS
VIX. ANN. XVI. HOR. XVIII. S
HVNC. A. DIS. SENECTVTI
MEAE. SERVATVM
SPEM. DELICIASQVE. VORAX
ABSTVLIT. ORCVS

OPTO

(n) *l. c. p.* 147.
(o) *Impr. Rhodigii* 1629. 4.

OPTO. SI. QVOD. OBLECTAMEN
TVM. APVD. MANES. EST. PRO
NEQVITIIS. IOCISQVE. QVI
BVS. COEVOS. CAPI
ENS. OBLECTARE
SOLEBAT
INSONTEM. ANIMVLAM. RE
FICIANT.
IN. H. S. SIVE. SERVVS. SIVE
LIBERTVS. INFERATVR
NEMO
SECVS. QVI. FECERIT. MITEM
ISIDEM. IRATAM. SENTIAT
ET. SVORVM. OSSA. ERV
TA. ATQVE. DISPER
SA. VIDEAT

Denique et hoc obſervatione dignum eſt, medio aevo apud Chriſtianos nullum fere teſtamentum, in quo legatum aliquid ad pias cauſas, fuiſſe conditum, cui non additae ſolennes in eos maledictiones, qui abuſi legatis fuerint. Harum illuſtre ſpecimen nuper admodum Cl. LEVCKFELDIVS (p) dedit, ubi fundationis VValckenredenſis Abbatiae, ab Adelheide, Comitiſſa de Clettenberg, ſolenni ritu factae, meminit; quod cum omnium inſtar eſſe poſſit, huc transſcribere, etſi longum ſit et copioſum, non gravabimur: *Si quis hominum, quod ab-*

(p) In *Antiquitat. VValckenred. P. I Cap. 4 p. 33.*

absit, cuiuscunque ille existat dignitatis vel honoris, vel humilitatis, testamentum hoc malo ingenio infirmare et infringere praesumserit, illud, quod DEO ac Domino nostro Iesu Christo, omnibusque Sanctis eius, de substantia nostra devote offerendo construximus, destruere voluerit, illius nomen citius deleatur de libro vitae, et omnibus subiaceat maledictionibus, quibus DEVS Regem Pharaon afflixit. Maledictus sit in tabernaculo, suo, ut nunquam habitet cum iusto. Eiiciat istum DEVS de possessione sua, et tradatur ea inimicis suis, sit portio eius cum traditore Iuda, et mansio cum Dathan et Abyran. Fiant agri ut Sodom, et ignis cum sulphure deiiciat domum eius sicut Gomorrham. Maledictum sit super ipsum coelum, et terra, quam calcat, sit ferrea, et sterilis, et agri zizaniis abundent. Fulgura, Domine, coruscationem, et dissipa hostem, emitte sagittas, et transfige inimicum. Pluat super rapionem laqueos Dominus, ignis et sulphur perdant eum; nuditas cum frigore ipsum affligant. Ardor et aestus cum egestate perfodiant animam eius. Aer super ipsum emittat legiones Daemonum, et pereat tandem ab angelo percutiente. Maledictus igitur in terra socium habeat Cain. Deficiat ipsi pabulum, quod bovi praestet, et abscindatur de ovili suo pecus. Maledictus

ctus sit in corpore suo a planta pedis usque ad verticem, absit ab eo sanitas. Heliodori plagas & verbera perpetiatur, et Antiochi tormentis ac vermibus scaturiens, cum foetore imputrescat, ac, nisi resipiscat, miserrime conteratur. Eiiciat viscera ut Iudas et Herodes, et descendat in infernum, ut Pilatus. Sit cadaver eius abiectum in escam volatilibus terrae, et pabulum bestiarum, et non sit, qui abigat. Filii et filiae eius eiiciantur de habitaculis suis, et stirps sua perpetuo maneat captiva, et, sicut Sodoma et Gomorrha in praesenti seculo percussa est, similiter percutiatur habitatio eius. Auferat DEVS memoriam eius de terra viventium, ne videat filios filiarum, et filii eius in miseria pereant, nec sit, qui pupillis eorum misereatur. Orphani ac viduae in domo eius frequentes sint, nutantes transferantur et mendicent. Fiat mensa eius coram eo in laqueum, universum stratum eius vertatur in infirmitatem. Maledicta opera eius. Maledictus ingrediens et egrediens, maledictus apud vicinos suos, sit ipsis fabula ac risus, nec memoretur nomen eius ultra. Maledicta sit mors eius ut canis, et pereat, qui sepelit corpus eius. Maledicta terra, quae os aperit, et eius cadaver recipit. Maneat cum diabolo et angelis eius, et, si non poenituerit, transeat in ignem aeternum, Amen. Marpesia

caute

caute duriorem eſſe oportet, qui ad tam atroces imprecationes non horreat atque obſtupeſcat. Quod ſi tamen recte conſideremus legata omnia, quae pauperum in gratiam conſtituuntur, nullum eſt, quod non maledictionem, etſi expreſſis verbis non conceptam, ſecum trahat, ſi legatarius legato abutatur, quemadmodum ex adverſa parte ſecunda omnia promittere ſibi poſſunt, qui bene legatis utuntur, et ut decet. At quotusquisque eſt, qui iſta animo recte perpendat? etc.

DISSERTATIO IV.

EXHIBENS DELINEATIONEM OPERIS MONTEFALCONIANI, QVOD INSCRIPTUM EST: PALAEOGRAPHIA GRAECA.

INgens hoc tempore inter eruditorum quosdam Principes de criteriis MSptorum Codicum controverſia eſt, quorum alii, ſuppeditari poſſe certiſſima, alii, lubrica eſſe omnia et incerta, quae ſuppeditantur, exiſtimant. Ante alios doctiſſimus Benedictinorum, IOANNES MABILLONIVS, *de Re Diplomatica* Opus egre-

gregium cedroque dignum Parisiis A. 1681 vulgavit, in quo, productis canae vetustatis monumentis, et literarum, qualis in illis comparet, ductu accurate cum sequioris aevi scribendi ratione comparato, id potissimum egit, ut ostenderet, quomodo Diplomata vera a falsis secerni, deque aetate eorum, cum annus subscriptus fuerit nullus, accurate iudicari possit. Miratus est orbis eruditus ingenium viri, nec quisquam per complures annos, quae ille tanta fiducia adstruxerat, in dubium vocare ausus est, donec abhinc fere quadriennio BARTHOLOMAEVS GERMON, S. I. Presbyter, vir haud perfunctorie doctus, *de veteribus Regum Francorum Diplomatibus, et arte secernendi antiqua Diplomata vera a falsis*, Disceptationem Parisiis ederet, in qua Diplomata, quibus ille totum fere rei Diplomaticae systema superstruxerat, genuina esse negavit. Quo libello provocatus iam senex MABILLONIVS, mox A. 1704 ibidem novum Opus in folio, quod aiunt, edidit, nimirum *Librorum de re Diplomatica Supplementum, in quo Archetypa, in his libris pro regulis proposita, ipsaeque regulae denuo confirmantur, novisque speciminibus et argumentis asseruntur et illustrantur.* Quin et nactus est MABILLONIVS fortissimum promachum

chum, IVSTVM FONTANINVM, Foroiulienſem, qui *Vindicias antiquorum Diplomatum* adverſus GERMONIVM Romae A. 1705 in 4 vulgavit, quo in libro multam eruditionem veterumque Diplomatum notitiam prodidit Autor doctiſſimus. Et, quanquam in eum ſtricturas quasdam Trevoltienſes ſuo Diario inſperſiſſent, attamen et DOMINICVS LAZZARINI ex Nobilibus DE MVRRO *Epiſtolam ad Amicum Pariſienſem pro Vindiciis antiquorum Diplomatum Iuſti Fontanini, Foroiulienſis*, Romae A. 1706 vulgavit, et, cum IACOBVS BERNARDVS *Novis Reip. Literariae M. Nov. A. 1706* Amici cuiusdam Galli relationem de hac controverſia, MABILLONIO et FONTANINO minus placentem, inſeruiſſet, prodiit nuperrime hoc ipſo anno (†) ANTONII GATTI I.C. *Epiſtola ad Virum Cl. Iacobum Bernardum, pro Vindiciis antiquorum Diplomatum Iuſti Fontanini*, cui etſi ſubſcriptum ſit: *Amſtelodami, apud Henricum Desbordes*, conſtat tamen, eam alibi, ſive in Gallia, ſive Italia, excuſam. Nec interea GERMONIVS victas manus dedit; quippe et *de veteribus Regum Francorum Diplomatibus Diſceptationem II ad R. P. D. Io. Mabillonium* Pariſiis A. 1706 vulgavit, et paratam quoque FONTANINO reſponſionem minatur. Contra MABILLONIVS quoque

(†) 1707.

que ad GERMONII dubia singulari libello respondisse, et eiusdem ordinis vir doctus, PETRVS CONSTANT, illius partes in se suscepisse fertur, editis Lutetiae *Vindiciis MS. Codicum a R. P. Barthol. Germon impugnatorum*, de quibus libris pauca quidem nobis constant, cum ipsi in has oras nondum sint perlati. Cum vero et MABILLONIVS et reliqui de Latinis fere tantum MSptis fuerint soliciti, laudem utique eximiam meretur BERNARDVS MONTFAVCONIVS, quem *Palaeographiam Graecam*, *sive de ortu et progressu characterum Graecorum, et de variis omnium Seculorum scriptionis Graecae generibus, additis Figuris et Schematibus*, Parisiis proxime editurum, e literis Amici accepimus. (†) Nec ingratum forte Lectoribus futurum est, si brevem totius libri sciagraphiam hoc loco inseramus. Dividitur Opus Libris sex, quorum primo, qui *de instrumentis Graecorum ad scriptionem, de chartis, de libris, de amanuensibus, et eorum notis*, inscribitur, de atramento, et aliis liquoribus ad usum Graecorum, de picturis Codicum ad rerum repraesentationem, de chrysographia, (ubi et de instrumentis arandi ex Scholiaste *Hesiodi* MSpto,) de phi-

(†) Eam postea A. 1708 in fol. editam, nemini ignotum puto. Iuvat tamen, eius Operis summa argumenta hic velut in tabula repraesentata conspicere.

philyra, tilia, papyro Aegyptiaca, charta plumbea, tabellis ceratis, de charta elephantina, coriacea, membranea, et de bombycinae uſu ac vetuſtate, de pugillaribus, et de libris linteis, porro et de ſtylo, calamo, et penna, (qua occaſione ſchemata S. Lucae et Halicarnaſſaei ſcribentium ex antiquis exemplaribus depromta exhibentur,) de nominibus et forma librorum, ſive interius, ſive exterius ſpectata, de operimentis, ſcilicet quaternionibus, de columnis, de diſtinctionibus, de interpunctione, ac eius ortu, et carptim de proſodia, de contaciis et diptychis, de Scribis etiam et Amanuenſibus, de Calligraphis nimirum et Notariis, de Chryſographis, variisque Calligraphorum ritibus et notis, agitur. Unde porro in eodem libro notae ac nomina Calligraphorum a tertio Seculo ad decimum ſextum adduntur, et de regionibus quoque ac locis, ubi Graeca ſcriptio frequentata fuit, quaedam annotantur. Liber ſecundus, *de Origine literarum Graecarum, et progreſſu earundem usque ad quintum a Chriſto nato Seculum*, inſcriptus, literarum Graecarum originem ex Phoenicibus derivat, et, praeter literarum priſcam formam, ac ſchemata marmorum Baudelotiani et Farneſiani, charactere Ionico veteri ſcriptorum, alphabetum ex marmore Grimano, alphabeta item ex nummis

Antiochorum et Ptolemaeorum, ſiglasque et monogrammata, exhibet, ubi et de mutationibus, quae primis Imperii Romani temporibus in Graecis literis factae ſunt, nec non de Abraxeis figuris et literis, de ſchematibus animalium Deitatumque Aegyptiarum, earumque commixtione cum Chriſtianis myſteriis; quibus adduntur alphabeta Baſilidianorum Graeca, et inſcriptiones Ancyranae, quarum pars inedita, aliaque Graeca, ad Auguſtorum priora Secula pertinentia. Libro tertio, *Exempla librorum antiquiſſimorum, unciali charactere quinto ſextove Seculo ſcriptorum*, complexo, ubi de vetuſtiſſimis libris membraneis agit Autor, in quibus characteres unciales alii quadri, alii rotundi ſunt ſine accentibus, ſpecimina Codicum, Colbertini, Regii, Caeſarii, et Baſiliani, producit, pariterque duorum Codicum, *Dioſcoridis Caeſarei*, qui ſexto ineunte Seculo, curante *Iuliana Auguſta*, ſcriptus eſt cum figuris, et Neapolitani, paris aetatis, nec non Codicis Graeci corticei *Turonenſis*, ſine accentibus et ſpiritibus ſcripti. Inde ad Codices ſeptimi Seculi pergens, purpureum Neapolitanum cum accentibus, exemplum item Codicis Colbertini, ſpecimina exemplarium Regii et Sangermanenſis, et alphabetum Pſalterii Murbacenſis, exhibet, ac denique noni quoque Seculi ſpe-

cimina

cimina Graeca apud Latinos ex Pſalterio Monaſterii Sancti Michaelis in Lotharingia, quod SEDVLII SCOTI manu exaratum fuit, aliaque, affert. *De Characteribus* porro *ligatis, ſive ductu calami coniunctis*, Libro IV acturus, formam ſcriptionis Graecae noni ac decimi Seculi e Codicibus Florentino et Patavino explicat, plurimaque decimi inprimis Seculi ſpecimina, a ſe invicem diverſiſſima, propinat, et del'κρυπτογραφία quoque Graecorum erudite diſſerit. Denique in eodem Libro Seculorum undecimi, duodecimi, decimi tertii, et decimi quarti, ſpecimina notatu digniſſima producit, quibus Libro quinto *Tabulas* omnium formarum Graecae ſcriptionis, abbreviationum item nominum propriorum, aliarumque, (qua occaſione de ſphalmatibus, per abbreviationes in exemplaria inedita invectis, agit,) et monogrammata, demumque Libro ſexto *Diplomata* quaedam *Graeca* regni Neapolitani, ſubiungit. Accedit ultimo loco Deſcriptio montis Atho, a IOANNE COMNENO, Graeco, vulgari idiomate edita, et nunc Latine verſa, cum gemino montis proſpectu, in ſchemate delineato. Sic optime de Manuſcriptis Graecis mereri inſtituit Clariſſimus MONTFAVCONIVS, qui ut pulchrum hunc ſoetum ſecundis auſpiciis emittat in

 lucem,

lucem, ex animo precamur. Equidem et novi, doctiſſimum Anglum, HVMFREDVM VVANLEY, longe plurima Latinae non minus, quam Graecae, ſcriptionis ſpecimina collegiſſe, eoque inſignem rei Diplomaticae ſcientiam ſibi comparaſſe, cuius in *Transactionibus* quoque *Philoſophicis Anglicanis* (a) peregregium documentum dedit, ubi oſtendit, qua circumſpectione opus ſit, ubi de aetate MSptorum iudicium ſit ferendum. Nec diffiteor, me quondam, huius potiſſimum exemplo incitatum, ſpecimina in itinere meo non modo ex antiquiſſimis MSptis, unciali charactere ſcriptis, verum et iis Codicibus, depromſiſſe, quibus, quod rariſſime tamen obſervamus, annus, quo ſcripta erant, additus ab Amanuenſi fuiſſet, quod, collatis pluribus huius generis ſpeciminibus, et literarum ductu, qui ſingulis fere Seculis alius fuit, diligenter conſiderato, de reliquorum etiam aetate promtius iudicari poſſe ſperarem. Itaque et ex Alexandrino S. Bibliorum Codice, in Bibliotheca Regia Londini, e *Novi Teſtamenti* Codice, qui BEZAE fuit, Cantabrigiae exſtante, ex antiquiſſimis item *Geneſeos* et *Evangeliorum*, Bibliothecae Cottonianae, nec non *Novi Teſtamenti* Codicibus, Sangermaniano et Clara-

(a) *A. 1705 Menſe Iunio p. 1993. ſeq.*

Claramontano Regio, quorum ſpecimina doctiſſimus Jo. MILL mecum communicavit, loca quaedam eodem tractu depinxi, variaque characteris Longobardici monumenta e Bibliotheca Bodleiana, Collegio item Lincolnenſi, quod Oxonii, et Greshamenſi, quod Londini eſt, collegi, quibuscum contuli elegantiſſimum Codicem Graecum, quem Vir eximiae humanitatis, IO. COVELIVS, Cantabrigiae poſſidet, circa finem Seculi X, ut ſubſcriptio docet, ſcriptum. Quin et Celeb. FRANZIVS Amſtelaedami Epiſtolarum Paulinarum Codicem non ultimae aetatis, literis quippe quadratis, verum, ut mihi videtur, in Eccleſia Latina ſcriptum, liberaliter mecum communicabat, quem hodie in Ampliſſimi BOERNERI, Collegae et Amici mei aeſtumatiſſimi, manibus eſſe gaudeo. Ex his vero Codicibus Graecis, qui minusſculis literis conſignati ſunt, antiquiſſimum deprehendi in Bibliotheca Bodleiana Synodicon ſub Leone Imp. et Nicolao Patr. C. P. circa annum 904, aut ſequentem, ſcriptum. Succedit Pſalterium in eadem Bibliotheca, intra annum 951 et 956 ſcriptum, nec non Homiliae *S. Chryſoſtomi* in Geneſin, A. 972 exaratae, tum Acta Apoſtolorum cum Epiſtolis et Apocalypſi, quae anno Mundi 6595, hoc eſt, Chriſti 1087;

anno VII Alexii Comneni, Indictione X, descripta, apud laudatum COVELIVM vidi. Seculi porro duodecimi specimen ex Octateucho Bibliothecae Collegii Vniversitatis Oxoniensis, quippe A. 1126 scripto, decimi tertii vero ex Antiochi Monachi Homiliis, in Bodleiana, et ex Evangeliis sumsi, in instructissima HENRICI MORI, Episcopi Norvicensis, Bibliotheca obviis, quorum Codicum alterum A. 1290, alterum A. 1297 scriptum apparet. Nec praetermisi THEODORI Isagogen Grammaticam Graecam, Cantabrigiae in Bibliotheca publica exstantem, quae Romae A. 1479 Nov. 10 scripta est. E Latinorum Codicum speciminibus primum est, quod ex donatione Aedelbaldi Regis, cui annus 749 subscribitur, in Cottoniana petivi. Factum etiam Illustris LEIBNITII commendatione, ut Codices nonnullos Bibliothecae Guelferbytanae lustrare liceret. Vnde incidi in Martyrologium, A. 772 scriptum, cuius Viennensis Blumenii nomine meminit FR. MARIA FLORENTINIVS in Praefatione Martyrologii Romani, cui tamen illud ceu serius acceptum non inseruit. Ad Seculi sequentis Codices spectant, quos in Bodleiana vidi, Venerabilis BEDAE Commentarius in Epistolas Canonicas, A. 818, liber de Computo Ecclesiastico, a ROE-

GEN-

GENBOLDO, Sacerdote de VVentonia, intra A. 855 et 867, et Liber Synodicus, ſub Ioanne VIII Papa et Ignatio Patriarcha CP. in ſedem reſtituto, intra A. 872 et 878 ſcriptus. Neque minus Codices S. AVGVSTINI in Apocalypſin, circa annum 970, et in Evangelium Ioannis, A. 1167 deſcriptos, quorum ille in Bodleiana, hic in Bibliotheca Collegii Aedis Chriſti, quod Oxonii eminet, inter cimelia alia exſtat, accurate conſului. Vt taceam MSpta alia plura, quae, etſi annum ſubſcriptum haberent nullum, digniſſima tamen mihi viſa ſunt, ob ſingularem maxime ſcribendi rationem, quorum ectypos haberem. Nec indictum in his relinquere poſſum praeſtantiſſimum *de Vita contemplativa* Codicem, in auguſtiſſima Guelferbytana Bibliotheca conſpicuum, cuius character prorſus ad eum accedit, quem in Teſtamento BEZAE, ſupra memorato, obſervavi. Hunc, etſi nomen auctoris MSpto nusquam compareat, reperi tamen poſtea, PROSPERVM AQVITANICVM Autorem agnoſcere. Quare in ea ſum ſententia, librum, ſi minus ab ipſo Autore, certe illius Seculo, manu exaratum fuiſſe, maxime cum et orthographiae ratio plane antiqua hic deprehendatur, ut in verbis *laburare*, *ſpecolator*, *inlecebris*, *habundantia*, et ſimilibus. Sed longius dilabimur ab inſtituto. etc.

DIS-

DISSERTATIO V.
DE
VARIIS ANGLIAE MUTATIONIBUS.

MEdiis in undis, velut alter orbis extra orbem, iacet Britannia Magna, coeli, soli, maris bonis dives, a vicinis regionibus, commodo undique intervallo, disiuncta, gremiisque patentibus universi orbis commerciis opportuna, et tanquam ad invitandum advenas avide in mare ex omni parte se proiiciens. (a) Verum, quasi Oceanus non tantum tempestatibus saepe iactatus, sed et aestibus suis flumina retro agens, excursionibus suis terrestria deprehendens animalia, recursu destituens marina, procellas ac turbones iniiceret, ita insulani dissidiis, bellis, seditionibus crebris, agitati sunt. Vix Romani Britanniam, cuius magnam partem sub imperio a Caesare ad Constantinum M. tenuerant, sub Valentiniano III, Imperatore, reliquerant, cum Picti Scotique eam ferro et igne devastarent. Adversus hos Rex *Vortigerus* Anglos et Saxones ex Germania in auxilium vocavit, qui, circa A. CCCCXLIX advenientes, Pictos et Scotos repulerunt, allecti autem Insulae fer-

(a) LANSIUS *In Orat. pro Britannis.*

fertilitate, in eadem manere conſtituerunt. Igitur, evocatis ſuorum plurimis e Germania, ingenti multitudine obrutos Britannos tandem in montana Cambriae retrocedere coegerunt. Inde ſeptem Reges Anglo-Saxonum exorti ſunt, eum inter ſe veluti ſupremum Dominum comiter agnoſcentes, qui potentia praevaleret ceteris. Regna iſta ad unum A. DCCC *Ecbertus*, qui ſub Carolo M. militarat, redegit, a Saxonibus occiduis Rex conſtitutus, ceteris ſubiugatis. Idem ſanxit, omnem illam regionem uno nomine Angliam, ipſosque incolas, Britannico et Saxonico nomine deleto, Anglos appellari. Circa idem tempus, inter continuas Anglorum, Scotorum et Gallorum inimicitias, *Achaius*, Rex Scotorum, cum Gallis perpetuum foedus pepigit. Tunc Dani Angliam variis invaſionibus infeſtare coeperunt, easque CCCXXX annis continuando tributum ab Anglis exegerunt, quotannis pendendum, donec *Sueno*, Danorum Rex, Imperii in Anglia initium faceret A. cIↄIIX, mox pulſus ab *Ethelredo*, Rege Anglorum. Id filius *Suenonis*, *Canutus*, recuperavit dimidium ex pacto cum *Edmundo*, Rege Anglo-Saxonum; paulo poſt, hoc interfecto, integrum obtinuit. Ita permanſit Anglia in poteſtate Danorum annos XXVI, debili-

bilitata vero eorum potentia, *Eduardo* Confeſſori, *Ethelredi* Regis filio, reſtituta fuit. Hoc defuncto absque prole, A. cIↃLXVI *Haraldus*, Comes, eam occupavit, ſed *Guilielmus*, Normanniae Dux, cui *Eduardus* Confeſſor, dum in exilio eſſet, tanquam cognato ſuo, ſucceſſionem deſtinaverat, cum exercitu traiecit, Anglos vicit, *Haraldum* interfecit, regnum ſub nomine Conquaeſtoris accepit. Ex eius familia, in *Eliſabetha* demum extincta, per Secula aliquot Reges habuit. Poſt *Henricum I*, nepotem eius, qui Normanniam Angliae adiecerat, inteſtina bella regni cauſa *Stephanus*, Comes Bleſenſis, et Mathildis, *Henrici I* filia, geſſerunt, quae adoptio *Henrici II*, Mathildis filii, terminavit. Hic *Henricus II*, disſidentibus inter ſe Hibernorum Regulis oppresſis, Hiberniae Dominus factus eſt A. cIↃCLXXII. *Ioannem*, *Richardi I* ſucceſſorem, Papa et Barones vehementer exagitarunt, veneno denique ſublatum. *Henrico III* civile bellum funeſtum exitium attulit. Hinc tres *Eduardi* ordine regnarunt. Primus, Dux Eboracenſis, praelatus fratri maiori, *Edmundo*, Duci Lancaſtriae, (ex qua cauſa poſtea ferales factiones enatae ſunt,) *Alexandro III*, Rege Scotorum, absque prole defuncto A. cIↃCCXCI, Scotis ingenti praelio proſtratis, regno fere toto potitus

eſt:

eſt: *Eduardus II* duobus maximis praeliis victus, idque *Roberto Brusſio* relinquere coactus, ab uxore *Iſabella et Eduardo* filio captus, regno exutus, in carcere occiſus eſt: *Eduardus III*, feliciſſimus in praeliis contra Gallos, *Richardum II* ſucceſſorem habuit, *Eduardi* Nigri, Principis VValliae, filium, qui, cum negligenter adminiſtraret Rempublicam, odium populi incurrens, ab omnibus deſertus, in carcere periit. *Roberto Scoto* vero ſucceſſit filius, *David*; hoc ſine haerede mortuo, familia *Stuarti* ad regnum pervenit A. cIↃCCCXX, quae, ſi maternam ſtirpem reſpicias, e Principum VValliae familia, adeoque a vetuſtiſſimis Britannis, ortum cepit. Ex ea qui ſex) ordine *Iacobi* imperavere, unus diem ſuum obiit, reliquis violenta morte extinctis. Poſt *Richardum II* Angliae regnum familia Ducum Lancaſtriae obtinuit, in qua natum *Henricum V*, patris *Henrici V* filium, Regem Galliae coronatum, aſt bello infeliciſſimum, *Eduardus*, Dux Eboracenſis, regno depulit, et in carcerem coniecit A. cIↃ CCCCLX. Liberatus, *Eduardum* in Flandriam fugavit, quem Carolus Audax, cuius ſororem duxerat in matrimonium, reſtituit. Tunc *Henricus* iterum captus, et in carcere occiſus eſt. *Eduardus*

iſte

iste quartus est, qui regium axioma in familiam suam reduxit, cui Lancastrensis deiecta restitit. Ex qua aemulatione Eboracensium, qui sese vocabant Rosam albam, et Lancastrensium, qui Rosae rubrae nomen sumebant, ab insignibus, quae gerebant, funesta bella Angliam lacerarunt. Filiolum *Eduardum V* Tutor Patruus, *Richardus*, Dux Glocestriae, occidit, et regnum invasit. Eum *Henricus*, Comes Richmondiae, Lancastrensium caput, victum obtruncavit, Rexque Angliae *Henricus VII* salutatus est A. cIↃCCCCLXXXV. (b) Princeps prudentissimus, *Elisabetha* superstite, ex Eboracensium familia, in uxorem ducta, et aemulis sublatis, duas adversantes sibi familias in unam coniunxit, eoque regnum, internis dissidiis per plurimos annos fatigatum, pacavit. Scotos quoque Anglis, qui a duodecim Seculis mutuis bellis se afflixerant, conciliaturus, *Margaretham* filiam *Iacobo IV* Regi dedit coniugem. Ita circa confinia Seculi XV et XVI malacia aliqua fuit, sed mox multis magnisque procellis interrupta. Ab *Henrico VIII* repudiatae duae uxores, duae carnificis securi subditae, (c) post abrogatam Pontificis

(b) *Verulamius* in *Vita*.
(c) Sesquiseculum Anglicanum.

ficis Romani poteſtatem in Eccleſia Anglicana diſſenſiones in religione, ex diſſenſionibus ſeditiones et ſupplicia: bellum cum *Iacobo V*, Rege Scotorum. Sub *Eduardo VI*, filio *Henrici VIII*, tumultus Papiſtarum, non niſi caedibus multorum ſedandi: in locum *Eduardi* defuncti *Ianae Graiae*, *Henrici VIII* ex *Maria* ſorore neptis, in ſolium regium, praeteritis *Maria* et *Eliſabetha*, *Eduardi* ſororibus, evectio, ac deturbatio: Populus ac nobiles *Mariae* Reginae, *Philippo II*, Regi Hiſpaniarum, nubenti, obnitentes: *Eliſabethae* in cuſtodiam traditio: Papiſtarum in Reformatos ſaevitia: poſt mortem *Mariae* Britannicae, regnante *Eliſabetha*, Puritanorum metuenda Reipublicae Secta: Scoti Papiſtae ope Gallorum Reformatos in Scotia perſequentes: Reformati, *Eliſabethae* copiis auxiliaribus ſuffulti, vincentes, et Gallicos milites expellentes: *Henricus Stuartus*, Scotiae Rex, in lecto noctu occiſus, et cum domo, ſuppoſito pulvere pyrio, in aerem proiectus: *Maria*, uxor eius, captivata, et *Iacobo VI* filiolo regnum cedere adacta, ex carcere elapſa cum aſſeclis fugata, in Angliam fugiens cuſtodiae data, et tandem decollata. Vt exceſſit vita *Eliſabetha*, immortalis memoriae Regina, Parlamentum proximum ei agnatum, *Iacobum VI*, Re-

gem

gem Scotiae, in Anglia primum eo nomine proclamavit. Nunc Regnis tribus ſub uno hoc Rege pocatior ſtatus affulſit. Ipſe Rex ſapientiſſimus, ad arctius coniungendum animos, Magnae Britanniae nomine Angliae Scotiaeque Regna non ſolum complexus eſt, ſed etiam in Comitiis graviſſima oratione unionem, qua poſſet dici uterque populus ſub uno Rege, ſub una lege vivere, ſuaſit. (d) Etiamſi vero, diſſentientibus utriusque Regni Statibus, ob rationes a THVANO annotatas (e) non procederet, tranquillum tamen habuit imperium, poſtquam divina providentia exitialem ipſi ac Regno coniurationem pulverariam irritam feciſſet. Verum poſt exceſſum eius quam horrenda tempeſtas Britanniam Magnam concuſſit, in caput regium, ſtupente orbe, detonans? Alia, poſt annorum aliquot decurſum exſurgens, Britannis ſervitutem, religioni exilium, toti Regno fatalem converſionem allatura erat, niſi a Deo miſſus *Guilielmus III* illam mature diſſipaſſet. Huic Heroi glorioſiſſimaeque Reginae Coniugi, *Mariae*, Britannia magna libertatem, religionem, pacem, debet. Quam ſummam felicitatem, in qua Regnum paternum accepit

(d) In *Operibus Iacobi Regis fol.* 237.
(e) *ad A.* cIↄIↄcIV. *Lib.* cXXXI.

accepit Sereniſſima *Anna*, ex *Stuarto-rum* familia, quae quadringentis annis Scotiam rexit, decima quarta, et ex ordine Imperantium Scotiae omnium ſucceſſione haereditaria centeſima decima tertia, ut firmaret magis, tum omnes alias ſuas curas ſapientiſſime intendit, tum praecipue unionem regnorum Angliae et Scotiae, tentatam aliquoties, impeditam ſemper, perficere aggreſſa eſt. Et perfecit, cum Summum Numen, quod ad hoc opus conſummandum *Annam* ſuam deſtinaverat, eandem utriusque regni Statibus cum Regina optima mentem dediſſet. Iam licet gratulantibus Reginae acclamare: *Henricus roſas, Iacobus nomina, Anna regna coniunxit.* Iam precari fas eſt Magnae Britanniae: Tueatur unita Deus: Quae Deus coniunxit, nemo ſeparet.

DISSERTATIO VI.

DE FASCINANDI VI, QVAM LAVDIBVS INESSE CREDIDERVNT VETERES.

INter anilia ſuperſtitionum genera, inde a gentilibus ad noſtram aetatem pro-

pagata, haud poſtremum eſt, laudibus immodicis faſcinum contrahi, cui averruncando multum prodeſſe certas deprecandi formulas, exiſtimatum eſt. Nam, ut a Graecis ordiamur, plurimum illi credebant laudes officere infantibus. Quare PLVTARCHVS (a) teſtatur, eos etiam a familiaribus et cariſſimis faſcinari potuiſſe. Nec facile laudabant Graeci, niſi invocata pace Adraſteae, quam Deam quippe ſuperborum ultricem credebant. Quo ſpectat inſignis locus in *Rheſo* EVRIPIDIS:

> Ἀδράϛεια παῖ Διὸς
> Εἴργοις ϛομάτων φθόνον,

& in eadem fabula: - - *σὺν δὲ Ἀδραϛείᾳ λέγω*; pro quo dicebant etiam *ὡς σὺν Θεῷ εἰπεῖν*. Alii, cum laudarent, *ἀπίτω βασκανία* addebant, quod vel ex ARISTAENETO (b) patet, qui inter alia: *ὦ πότνια Ἀφροδίτη· τί σοι τῆς Λαΐδος ἕνεκα θύσω; ἣν οἱ προσβλέποντες ἀποτροπιάζουσιν, ὧδε σὺν θαύμασι προσευχόμενοι τοῖς Θεοῖς· ἀπίτω φθόνος τοῦ κάλλους· ἀπίτω βασκανία τῆς χάριτος.* Sic & *ἀβασκάντως* Graeci dicebant, quod Romani *praefiſcine*, teſte BRISSONIO. (c) Quis enim vocis *praefiſcine* uſus apud iſtos fuerit, plures

(a) *Lib. V Sympoſ. Cap.* 7.
(b) *L. I Epiſtola I.*
(c) *de Form. L. VIII p.* 738.

res obſervarunt, ut ALSARIVS, (d) L'AVRENBERGIVS, (e) RAMIREZ DE PRADO, (f) VVERNERVS, (g) CELLARIVS, (h) alii. In laudibus propriis ea voce PLAVTVS utitur, (i) et ad aliorum quoque laudes adhibitam fuiſſe, TITINNIVS, poeta, teſtis eſt, qui in *Setina*, cum aliquem introduxiſſet Paulae puellae laudes parantem: *Paula mea amabo*, mox alterum fingit monentem: *Pol tu ad laudem addito praefiſcine*, nimirum, ut CHARISIVS (k) obſervat, *ne puella faſcinetur*. Et hinc *Feſcennini* quoque *verſus* dicti apud veteres, quos novis nuptis poſt laudes a pueris acclamari volebant. Sic CATVLLVS in *Carmine nuptiali Iuliae et Manlii*, cum prolixe laudaſſet ſponſam, ne laudibus iis nova nupta faſcinaretur, admonet pueros, ut Feſcennina ſtatim acclament:

Nec diu taceat procax
Feſcennina locutio,

quod ante alios egregie obſervavit FR. BERN-

(d) *de Invidia et Faſcino ap. Graev. Theſ. Ant. Rom. T. XII p* 898.
(e) In *Antiquario p*. 351.
(f) In *Pentecontarcho Cap*. 31 *p*. 252.
(g) *Opuſc. Philol. Cap*. 10.
(h) *Theſ. Fabr. voc. Faſcinum.*
(i) In *Aſinaria Act*. 2 *Sc. ult*. et *in Rudente Act*. 2 *Sc*. 2.
(k) *L. IV Inſtit. Grammat.*

BERNARDINVS FERRARIVS (l). Iam, ut ad hodiernas Europae gentes nobiliores veniamus, Hiſpani, apud quos regnat ſuperſtitio, magnam certe laudibus faſcinandi vim adſcribunt, eoque, ut ERYCIVS PVTEANVS (m) refert, etiam hodie poſt laudationes ſimiles manum conſtrictam, inſerto inter indicem et medium digitum pollice, protendere ſolent, et addere: *Higa para vos*, verba (ſicut et ipſe geſtus) contemptui, iniuriae et ignominiae nata, ut ſcilicet vituperio hoc, ceu antidoto, effectum impediant atque averruncent laudis. Cuius etiam conſuetudinis mentionem facit RAMIREZ DE PRADO, (n) qui praeterea Hiſpanis *Bendigale Dios* idem valere ac *praefiſcine* addit. Et BALTHASAR DE VIAS (o) ſcribit: *Accipitur etiam Iynx pro mentula et pro amuleto adverſus faſcinum, quo etiam hodie virgines Hiſpanae utuntur, ſuſpenduntque collo ex lapide Gagate Iynga, quem Hyga corrupte vocant, religioſum id geſtamen arbitrantes amovendo faſcinum.* Eum morem plane a veteribus originem ducere, quis non

(l) *de Veterum Acclamationibus et plauſu L. VI Cap.* 25 *p.* 342.
(m) In *Reliquiis Convivii priſci p.* 82.
(n) *l. c. p.* 251 *ſeq.*
(o) In *Via Regia p.* 333.

non videt? Hos enim pueris rem turpiculam e collo ſuſpendiſſe, ut faſcinum, quod ex oculis inprimis emitti credebant, averterent, e VARRONE et PORPHYRIO diſerte probat ALSARIVS (p). Atque, ut ea nunc mittamus, quae de faſcino oculorum veteres fabulati ſunt, qua de re plurima collegit BALTHASAR BONIFACIVS, (q) certe in hunc diem propagata ſuperſtitio eſt ad Italos, ut, qui laudant, malos oculos averti optent. Teſtatur PVTEANVS, (r) mulieres Mediolanenſes puerorum paſſim laudes et commendationem hiſce verbis proſequi: *de ſalditch, per non faſnait;* ubi *ſalditch* dictum putat pro *ſal' l' t' occh'*, et Hetruſcos quoque hodie incorrupte laudatos reſpondere: *di gratia, non gli date mal d' occhio.* Pervulgatum etiam novimus in Italia proverbium: *Dio vi guardi da mal' occhi e da donna ch' addochi.* Eadem fere dicendi ratio apud Hibernos obtinet, qui vernaculo ſermone dicere conſuevere: *que ſhachenna Die er yrohulif e*, i.e. Deus eum a pravis oculis liberet. Et, quamvis Germani noſtri nulla fere in re, praeterquam in luſu, invidis oculis faſcinum quoddam attribuant,

 pluri-

(p) *de Faſc. vet. p.* 894.
(q) In *Hiſt. ludicra L. XIII Cap.* 17, 18.
(r) *l. c.*

pluribus tamen persuasissimum est, nisi infantulum, inprimis sex hebdomadas nondum supergressum, equum item, atque alia, laudans, voces addideris, *Gott behüte es!* facile hoc illis damno esse posse: cumque mali quid aliunde accesserit, e laude fascinum contractum putant, eoque dicere solent: *sie habens beschrieben.* etc.

DISSERTATIO VII.

DE

HIS, QVIBVS SINGVLARIS QVIDAM AC INSOLITVS AVDITORVM APPLAVSVS CONTIGIT.

Iam pridem eruditis observatum est, plausum et acclamationes e theatro in scholas atque auditoria migrasse, et Rhetores olim Sophistasque ac Declamatores, coenis sportulisque datis, plausum redemisse, domique aluisse acclamantium et plaudentium chorum, qui dicturo aut recitaturo semper adesset, prodeuntem comitaretur, et in ipsa etiam deductione acclamaret; imo et magnificas potentiorum aedes conduxisse, et numerosa

merosa posuisse subsellia, quo maior alliceretur auditorum numerus. Qua de re Viri omnium confessione doctissimi, LVDOVICVS CRESOLLIVS, (a) et FRANCISCVS BERNARDINVS FERRARIVS, (b) pereleganter atque erudite commentati sunt; ut taceam IOSEPHVM LAVRENTIVM, libelli perexigui (c) autorem haud prorsus contemnendum. Enimvero non minori hodie cura atque solicitudine eruditi de plausu sibi conciliando laborant, eoque artibus propemodum utuntur iisdem, quas mimi atque histriones in theatris ad concitandos populi plausus et cachinnos adhibere consueverunt. De qua captatione plausus, quam uno, quanquam barbaro, vocabulo *Charletaneriam* Eruditorum dixeris, cum in ipsa Magistrorum Panegyri proxime verba facturus sim, (†) nunc tantum

 tum

(a) *Theatr. Rhet. L. III Cap.* 20.
(b) *De Veterum Acclam. et plausu L. III.*
(c) *De Acclamationibus, ap.* GRONOV. *Thes. Gr. T. VIII.* Conf. et GAVDENTII *Obstetrix liter. p.* 70.
(†) Diu est, quod in lucem exierunt, et communem eruditorum plausum tulerunt, quas de *Charletaneria eruditorum* publice recitavit MENCKENIVS, Orationes binae, in vulgus notissimae, saepiusque postea tam Germanorum, quam Batavorum et Italorum, prelis iteratae. Recentissima omnium editio est, quae A. 1726 *Lucae, typis Leonardi Venturini, in* 12, ru-

tum Programmatis loco quaedam de iis praefari constitui, qui miro quodam ac insolito Auditorum applausu, sive in praelectionibus, sive declamationibus, gavisi sunt. Et, ut veteres praetermittam, ut THEOPHRASTVM Eresium apud *Laertium*, aliosque, qui ultra bis vel quater mille auditores habuere, primus quidem hic occurrit PETRVS ABAELARDVS, qui, cum in ea incidisset tempora, quibus sordebant bonae literae, spississimisque tenebris obvolvebantur, auditores nactus est prope innumeros, qui non ex Gallia tantum universa, verum et Hispania, Italia, Germania, Belgio, ac Britannia, certatim ad illum convolabant, et rusticationis causa Lutetia emigrantem tanta frequentia comitabantur, ut, si ipsi credimus, (d) *nec locus hospitiis, nec terra sufficeret alimentis.* Nec minor postea PETRI RAMI applausus fuit, qui cum

bro ornata sequenti, prodiit: IO. BVRCH. MENCKENII *de Charletaneria eruditorum Declamationes duae, cum Notis Variorum. Accessit Epistola Sebastiani Stadelii ad Ianum Philomusum, de Circumforanea literatorum vanitate: ac tandem Supplementi loco in hac editione adiectae sunt N. N. Notae tumultuariae. Editio quarta, ad tertiam Amstelaedamensem adornata.*

(d) *Operum pag.* 19. Conf. BAYLE *Dict. Cr. tit. Foulques.*

cum Aristotelicos fortissime oppugnasset, clarissimae sectae, quam plurimi inde, in Germania inprimis, Angliaque et Scotia, secuti sunt, autor exstitit. Is vero, cum aliquando contra Carpentarium vehementius excanduisset, *ubi sunt*, inquiebat, *illa tempora, ubi duo millia hominum, qui Ramum volentes audire, non potuerunt?* (e) Circa eadem tempora florebat in Italia lepidissimum IOANNIS ANTONII CAMPANI ingenium, qui vir quanto hominum concursu Perusiae, cum primum scholas aperiret, declamaverit horas tres, ex eiusdem Epistolis, a nobis editis, (†) iucundissime patet. Ita enim, ut alia nunc praetermittamus, loquitur: (f) *XII Cal. Novembris Orationem habui apud Perusinos longe gloriosissimam. Aderat Beneventanus Antistes urbis; aderant et ICti octo et quadraginta: quid tibi dicam Medicos, Grammaticos, Oratores, paene innumerabiles? quales sunt Oratores hodie, si solum non barbare illatineque loquantur. Praeterea*

 homi-

(e) NAVDEE *dans le Mascurat p.* III.

(†) *Lipsiae, A.*1707, 8. Eius *Vitam Brachianam, Vitam Pii II, Pontificis, de Ingratitudine fugienda libros tres,* et *de dignitate matrimonii* libellum, ipse ego his diebus luce donavi publica, quicquid superest *Orationum* eius, foras daturus quam proxime.

(f) *L. II Ep. I p.* 50 *ed. nostrae.*

hominum plus quam tria millia, qui ad me, de quo aliqua praecesserat exspectatio, audiendum convenerant frequentia incredibili. Et paulo infra: *Effeci, ut totum triduum ingens quidam in civitate stupor ac tumultus esse videretur, omnes me loquebantur, digitis me, quocunque irem, ostendebant.* Quin et testatur MICHAEL FERNVS in *Vita Campani*, (g) GVIDVM, Grammaticum, ex eo tempore Perusiae publice docere haud ausum. Quanta et Florentiae eadem aetate FRANCISCI PHILELPHI fuerit existimatio, ipse alicubi (h) gloriosius praedicat, ubi non tantum ipsas nobilissimas foeminas honorandi sui gratia via cedere sibi, verum et auditores esse quotidie quadringentos et amplius, et hos quidem magna ex parte viros grandiores et Senatores, testatur. De IANO PARRHASIO referunt, eum tanto Mediolani plausu docuisse, ut inter iuvenes auditores Senex Trivultius, summi nominis et autoritatis Imperator, conspiceretur. (i) Et scripsit de se ipso ANGELVS POLITIANVS, (k) cum *Catullum* forte Veronae in officina quadam, viris nonnullis literatis, paene cogen-

(g) *Operibus*, *Ven.* 1502, *f.* editis, praemissa.
(h) *Lib. II Ep.* 2.
(i) IAC. GADDIVS *Script. non Eccl. T. II p.* 182.
(k) In *Miscell. Cap.* 19.

gentibus, explicaret, non minus multos ſpectata doctrina viros, quam magnam ſcholaſticorum manum, pronis auribus cuncta accepiſſe, ac identidem clamaſſe, *demiſſum coelitus Angelum ſibi, qui poetam conterraneum interpretaretur.* His proximus IVLIVS POMPONIVS LAETVS fuit, vir Latini ſermonis ac veteris hiſtoriae gloria illuſtrisſimus, qui, etſi in familiari conſuetudine haeſitante lingua balbutire ſolitus eſt, (l) tanta tamen eloquentia, tamque expedite ac venuſte, e ſuggeſtu ad cupidam iuventutem verba fecit, ut auditores a media nocte ad occupanda ſubſellia in auditorium concurrerent. (m) Quod idem ferme de ſummo Theologo, IOANNE MALDONATO, teſtantur ſcriptores, qui, duabus quotidie tribusve horis certatim diſcipulos ſubſellia occupaſſe prius, tradunt, quam ille ludum ingrederetur, ſaepeque eum in aperto atque adeo in viis publicis docere coactum eſſe, ob multitudinem auditorum, quos nullae exhedrae capiebant. (n) Quemadmodum vero MALDONATVS inter Theologos, ita inter Iureconſonſultos illa

(l) PAVL. IOVIVS in *Elog.*
(m) VIGNEVL MARVILLE *Mel. d' Hiſt. et de Litt. T. I p.* 226.
(n) ANTONIVS in *Bibl. Hiſp. Nov. T. I p.* 558. et TEISSIERIVS in *Add. aux Elog de Thou T. III p.* 303.

illa aetate IACOBVS CVIACIVS, quem per eminentiam *Iureconſultum* appellatum fuiſſe THVANVS autor eſt, incredibili nationum omnium concurſu (o) docuit, ac id inprimis impetravit, ut in tanto auditorum numero nemo vel minimum obſtrepere auſus fuerit. (p) Spectatque huc, quod MENAGIVS refert, CVIACIVM, cum MALDONATVM, qui prior illum inviſerat, reſalutaret, *corona octingentorum iuvenum ſtipatum* (q) proceſſiſſe, quos nnnquam non auditores habuerit. Sed non inferior CVIACIO fuit ANDREAS ALCIATVS, qui in Epiſtola ad CALVVM ita loquitur: *Octingentis et eo amplius auditoribus profiteor; atque in his cum Epiſcopi, Abbates, Comites, aliique proceres ſunt, ſed et de remotiſſimis nationibus quam plurimi, qui ob ſolius Alciati nomen confluxerunt.* (r) Ita prorſus de FRANCISCO BALDVINO, doctiſſimo ICto, refert SAMMARTHANVS, (ſ) teſtis oculatus, quod ſaepe eum viderit Lutetiae profitentem, *cum ad eius auditorium permulti primae notae homines,*

(o) TOLLIVS *de Infel. Lit. in noſtris Anal. p.*474.
(p) *Scaligerana* 2.
(q) *A la tête de* 800 *etoliers.* v. *Menagiana Vol. I p.* 13.
(r) *Epiſt. doct. Vir. è Bibl. Gud. Ep.* 3 *p.* 78.
(ſ) *Elog. L. II p.* 101.

mines, Epiſcopi, Senátores, Equites, libenter et *maxima frequentia confluerent*. Et, ut taceam IOANNEM CORASIVM, (t) quem Toloſae Iura profitentem quater mille iuvenes ſtudioſos audiviſſe ferunt, reliquis haud immerito ſubiungimus HIERONYMVM BVCCAFERRVM, Iuris in Italia decus, de quo iuvat audire ERYTHRAEVM: (u) *Duos et quadraginta annos, quibus Ius civile docuit, tanti ad eum concurſus fiebant, ut non modo locus in ſubſelliis mature occuparetur, verum etiam ſchola, atque adeo ambulacrum, ſcholae adiunctum, auditorum frequentia compleretur: tantum a corona ſilentium fiebat, ut nemo ne mutire quidem auderet; tam multae aſſenſiones, tam crebrae admirationes oriebantur, ut, qui procul adſpexiſſet, ſummum eſſe in ſchola magiſtrum et tanquam in ſcena Roſcium intelligeret*. etc. Verum nemo auditorum numero ſuperavit AZONEM, Bononienſem, cuius, priſtina iura primum revocantis, *celebritas ex omnibus Italiae regionibus excibat auditores, ita, ut Bononiam attraxerit iuvenum fere decem millia*, ut loquitur elegantiſſimus I.V. GRAVINA. (x) Nec Medici exemplum deeſt,

(t) VVEISIVS *de Fatis erud. in aula Cap.* I §. 5.
(u) *Pinacoth. n.* 146.
(x) *De ortu et progr. Iur. Lib, I n.* 151 *p.* 180.

eſt, IACOBI SYLVII, qui, cum ne gradum quidem Doctoris obtinuiſſet, in ipſa tamen Pariſienſi Academia tanto plauſu docebat, ut de illo I. VAEVRAEVS (y) caneret:

Quem certa methodo medicis de rebus agentem
Aſſidue in ludo totius principe terrae,
Mille acri aſſidue ſpectabant lumina viſu;

quanquam ipſe tantummodo *auditores* numeraverit *circiter quadringentos.* (z) Cui forte adiungi poſſet CAROLVS PATINVS, qui, cum iuvenis admodum cadaver foemininum cultro anatomico ſubieciſſet, maximo applauſu gaviſus eſt; id quod de illo pater, GVIDO, (aa) his verbis teſtatur: *il a un ſi grand nombre d' Auditeurs, qu' outre le theatre, la cour eſt encore toute pleine.* Et, quoniam hactenus de Gallis tantum Italisve dictum eſt, e Germanis nunc producamus PHILIPPVM MELANCHTHONEM, quem auditores interdum mille quingentos habuiſſe tradunt. (bb) Neque incommode huc referas, quae de illo refert IACOBVS

(y) *apud* MORELL. in *Vita Sylvii.*
(z) *Praef. libri de oſſibus.*
(aa) *L' Eſprit de Guy Patin p.* 57.
(bb) KOENIG in *Bibl. p.* 527.

COBVS VERHEIDEN. (cc) *Tantus,* inquit, *studiosorum hic concursus atque frequentia: tanta ministrorum Ecclesiae et Ludimagistrorum multitudo ex una Melanchthonis schola progressa, ut amplissima Germania vicinaeque regiones doctos piosque ministros ac praeceptores, beneficio Melanchthonis, passim suis in locis habuerit, ita, ut non immerito ministrorum praeceptorumque Pater dictus sit.* Ita IOANNES REVCHLINVS, vulgo CAPNIO, qui inter MELANCHTHONIS familiares praecipuus fuit, in Epistola ad IO. SECERIVM, (dd) fortunam suam praedicat, dum esse sibi scribit in scholis Graecis et Hebraicis quotidie auditores prope quadringentos, numerumqne augeri in dies. His addi possent multo plures, ut EOBANVS HESSVS, aliique, etiam recentiores, qui plausum ut meruerunt, ita nacti sunt, longe maximum. Quibus adiungi hoc loco illi etiam possent, qui, cum omnium primi applausum meruissent, illo tamen ita destituti sunt, ut, qua hora discipulorum multitudini doctrinae praecepta tradenda erant, a corona derelicti, ante scholae ostium cum uno

(cc) *Praestant. Theol. Effig. et Elog. p.* 29.
(dd) Praemissa est *Xenophontis Apologiae Socratis* GR. HAGEN. 1520, 4, a SECERIO editas.

no aut altero obambularent; id quod de ALDO MANVTIO disertis verbis testatur ERYTHRAEVS. Cui PAVLVM BENIVM, IVLIVM PACIVM IC. ipsumque LIPSIVM, PVTEANVM, aliosque, addere possemus, nisi ad id nunc propius accedendum esset, cuius causa haec praemisimus. etc.

DISSERTATIO VIII.

DE

VITA ET IN REM LITERARIAM MERITIS MARTINI GEIERI, THEOLOGI INCOMPARABILIS.

CUm nihil in Republica Literaria iucundius sit, quam fata et res gestas cognoscere Virorum eruditissimorum, quorum exempla velut in illustri posita intueamur, non erit ab hoc loco alienum, vitam exponere summi Viri, MARTINI GEIERI, magnam partem e commentariis, ipsius manu scriptis, qui hodie sunt in manibus tanto Avo dignissimi Nepotis, D. CHRISTIANI FRIDERICI BOERNERI, P. P. Collegae nostri coniun-

iunctissimi, excerptam: quod officium Viri de Saxonia nostra immortaliter meriti manibus hoc lubentius praestamus, quo pauciora de illo publicis hactenus typis exscripta prostant. (a) Natus fuit Lipsiae A. 1614 die 14 Aprilis, qui illo tempore in primam feriam Paschatos incidit, parentibus MARTINO GEIERO, cive et mercatore, et Sabina, nata Fischeria, cuius mater Susanna e clara SCHILTERORVM progenie descendit, habuitque fratrem, Theologum apud nos insignem, D. ZACHARIAM SCHILTERVM, Prof. Publ. Cum quartum aetatis annum attigisset, in scholam missus, incredibili animi voluptate viam ingressus est, ex quo omen haud sinistrum cepit pater indulgentissimus. Scholis, nostra, et postea Torgaviensi, relictis, vitam Academicam amplexus est apud nos A. 1628, cum annum ageret decimum quartum. Triennio post, A. 1631, cum ipsi etiam Saxoniae gravissimum bellum incumberet, Argentoratum petiit, ibique CONRADO DANNHAVERO diligenter

E ad-

(a) Exstat quidem nonnihil de eius vita in Lexico Historico, quod auspiciis Celeb. BVDDAEI prodiit; verum frustra ibidem citatur VVITTE, in cuius *Memoriis Theologorum* nihil de GEIERO reperire potuimus. (†)

(†) Etsi de GEIERO nihil nos doceant VVITTENII *Memoriae Theologorum Germanorum*; leguntur tamen de eius vita aeque ac scriptis nonnulla in eiusdem Autoris *Diario Biographico T. I ad A.* 1680.

adhaesit, ac eodem anno Theses quasdam Philologicas illo Praeside publice defendit, Io. SCHMIDIUM quoque praecipuum Maecenatem expertus. Mortuo inter haec Patre, cum bellicae turbae universam propemodum Germaniam occupassent, prospero tamen itinere Ienam primum ac deinde in patriam rediit, laureaque Magisteriali Lipsiae decoratus fuit A. 1633. Mox inde VVittebergam adiit, atque, intima illic familiaritate cum IACOBO VVELLERO, Philosophiae tum Adiuncto, quem postea in supremo Concionatoris Aulici munere excepit, contracta, LYSERUM, HULSEMANNUM, ROEBERUM, aliosque, Theologiam docentes, sedulo atque diligenter audivit. Cumque praeterea intelligeret, quanto usui Theologis esse possit linguarum orientalium notitia, Celeb. TROSTIO in iis addiscendis praeceptore usus est, ne ullam quidem horam, quin docenti TROSTIO adesset, praeterlabi passus, nisi eam, qua publice disputavit. (b) Itaque dignissimus habitus est, cui A. 1639 Professio Linguae

(b) Cum primum TROSTIUM docentem audiret, tantum taedii cepit, ut parum abfuerit, quin animum hanc linguam colendi plane abiecerit; verum, cum secundum audiret, tanta illum perdiscendae linguae cupiditas incessit, ut omnes molestias, etsi per totam civitatem ipsi eundum esset, posthaberet. Vid. B. GEIERI *Com. MS.*

guae ſanctae Lipſiae demandaretur; cumque pariter Theologiae operam daret aſſiduam, una cum IO. BENEDICTO CARPZOVIO et ABRAHAMO TELLERO inſtituendae novae Societati, quae COLLEGII GELLIANI nomine venit, autor fuit, cuius inſtituti haec fuit ratio, ut ex optimis Interpretum Commentariis colligerent, et conſtituto tempore explicarent, quae ad ſacras literas intelligendas pertinerent. (†) Etſi vero D. HENRICO HOEPFNERO, qui morti vicinus eum Theologis noſtris impenſe commendaverat, A. 1624 in Theologica Profeſſione ſuccedere non poſſet, eo quod ad tam arduam provinciam illa aetate nondum adſpiraret, nec Patronos ſolicite ambiret; mox tamen anno ſequenti Diaconi ad D. Thomae munus vix opinanti delatum eſt, quod non ſine trepidatione ſuſcipiens, primo ſtatim poſt inaugurationem die haud modicis tentationibus vexatum ſe ſenſit, quas quidem precibus tandem ardentiſſimis ſuperavit. Hinc A. 1657 poſt obitum CARPZOVII Archi-Diaconus, et Theologiae Profeſſor, A. 1658, mor-

 tuo

(†) Huius Societatis, ad incrementa literarum inſtitutae, hiſtoriam ex inſtituto nuper doctiſſimeque perſecutus eſt Celeb. GEORG. CHRISTIAN. GEBAVERVS, Academiae noſtrae inſigne decus, in *Diſſertationum Anthologicarum*, coniunctim A. 1733, 8, editarum, Faſciculo, Opere erudito, et, cui publice applaudatur, digniſſimo.

tuo TELLERO, Paſtor ad D. Thomae, et mox Theologiae Doctor, A. 1659 Academiae noſtrae Rector, et, HVLSEMANNO demum A. 1661 defuncto, Superintendens factus, nihil intermiſit, quod ad ornandam Academiam vel Eccleſiam ſpectaret. Deceſſerat Dresdae A. 1664 d. 22 Auguſti Vir pientiſſimus, IACOBVS VVELLERVS, Sereniſſimo Electori, IOANNI GEORGIO II, a Confeſſionibus et Conſiliis Eccleſiaſticis, in cuius locum ſurrogari GEIERVM noſtrum Elector optabat. Enimvero, quam ſerio tam grave munus fuerit deprecatus, nemo melius deſcripſit CASPARE ZIEGLERO, Iureconſulto celeberrimo, qui hinc demum occaſionem arripuit, *de Clero renitente, ſeu muneris eccleſiaſtici fuga*, doctiſſimam edendi Commentationem. (c) Inprimis vero Vir quietis amans aulae ſtrepitus magnopere averſabatur, et, cum omnino Dresdam evocaretur, obſecutus eſt quidem voluntati Electoris, verum ad eius

(c) Ita de noſtro ZIEGLERVS in *Praef. lib. cit. Tum vero ille multis verbis deprecari iſtud onus, imparem ſe ei ferendo dicere, in propenſa Lipſienſium ſuorum voluntate quieſcere ſe velle, et petere proinde, ut ſibi liceret, quod reſtaret vitae, in poteſtate ſua habere.* Et paulo poſt: *Cum autem nihil omnino proficeret, non tergiverſari amplius, ſed reſiſtere prorſus, et reluctari, et modis omnibus adverſari pergebat, adeo, ut in lachrymas tandem reſolverentur et diffluerent, quibus ſe premi animadvertebat, anxietates.*

eius conſpectum admiſſus, longe graviſſimis argumentis Electorem ab inſtituto dimovere conatus eſt. Quibus auditis, optimus Princeps, *memento*, inquit, *te ab ipſo Deo vocari*, *me quidem interprete:* unde ceſſit demum divino nutui GEIERVS, ſaepius illa Iobi uſurpans *Cap. III, 25, 26.* Quanta vero prudentia tam arduum munus geſſerit, quam pulchre exemplo ſuo praeluxerit omnibus, atque non aulicis modo, verum et ipſi Electori, ſi quid forte reprehenſione dignum admiſiſſet, nunquam pepercerit, vix ſatis verbis enarrari poteſt. Accepimus, GEIERVM aliquando Electorem liberius coarguiſſe, ideoque quorundam aulae miniſtrorum indignationem ſubiiſſe, qui illi autores fuerunt, ut huic dicendi libertati obicem poneret; at reſpondit D. Princeps: *Feratis, quaeſo, hoc mecum patienti animo; certum exploratumque habeo, Geierum commodis noſtris ſtudere, et bene nobis cupere.* Et videtur iſtud omnino memoria dignum, quod, cum, exſtincto Principe, continuo viſus eſſet ſubtriſtior, ac ſaepe precari, ut rebus humanis eximeretur, non multis diebus poſt, ſcilicet d. 12 Sept. A. 1680, Fribergae vitam et ipſe cum morte commutaverit. Vbi nec illud quidem omittendum, quod, cum coenanti allatus eſſet nuntius, Amicorum quendam ſubito obiiſſe, dixerit

Vtinam et mihi ſubita, ſed beata, mors obtingat! Damnatus eſt voti, eademque nocte mortalitatem explevit. Etenim hunc Virum graviſſimis laboribus iam pridem deſtinaſſe ſupremum Numen, vel illud indicio eſt, quod A. 1642 d. 9 Nov. contigit. Obſidebat tum Lipſiam *Leonardus Torſtenſonius*, qui, ut urbem in poteſtatem acciperet, crebris tormentorum ictibus eam petebat. Evenit vero, ut quodam die mane ſurgens Noſter, ſecurus certe et Dei praeſidio nixus, muſeum ingrederetur, Caput aliquod S. Scripturae lecturus. Et iam legere inceperat, quando velut mali quid praeſagiens, mutato conſilio muſeo excedit. Vix extulerat pedem, quando globus ex tormento exploſus muſeum perrumpit, librum, quem manu verſarat, diſcerpit, lacerat, nonnullas muſei partes laedit. Id quod dum ipſe B. Praeſul loco quodam narrat, mirifice ſe hoc modo, quo deſtinata ſumma contentione perſequeretur, confirmatum eſſe teſtatur. (d) Iam in virtutibus eius enarrandis prolixi eſſe nolumus, cum publice conſtet, quanta eius fuerit doctrina, prudentia, ſanctitas, quam pura ac gravis oratio, quae aculeos relinqueret in animis auditorum. Et, quantus Vir fuerit, ſcripta eius loquuntur, quae ſtrictim nunc enu-

(d) In *Commentariis MS. de vita ſua.*

enumerabimus. Sunt nimirum *Commentarius in Danielem*, 1666, 4, quem publicis ſcholis Lipſiae abſolvit, tum *Commentarius in Eccleſiaſtem*, 1642, 4, *in Proverbia*, 1653, 4, *in Pſalmos*, 1667, 4; Exercitationes porro, ut *ad Ezech. XIV, 9*, (e) *de Protevangelio, de morte & reſurrectione Chriſti, ad Ieſ. LIII, 8, 9, 10, de adventu Chriſti glorioſo, de miniſterio, de ſuperſtitione, de Iudaeo-Papismo*; nec non Diſſertationes duae *de ritibus lugentium*, e quibus eius *de luctu Ebraeorum* libellus natus eſt, item *de ratione coenandi apud Ebraeos*; quibus et addi poſſet eius *Introductio ad Ebraeam linguam*, quae nondum prodiit, et quae *de animo ad mortem praeparando* vernacula commentari ipſe morti vicinus coeperat, quae fragmenta B. SAM. BEN. CARPZOVIVS cum Praefatione Dresdae edidit; denique ſermones ſacri, ut *Zeit und Ewigkeit*, 1669, 4, *Ioannis Buſs-Stimme*, 1686, 4, *der geiſtliche Braut-Schmuck*, ſive de ſpe, fide et amore, 4, *Liebe zu Gott und dem Naechſten*, 8. *Allgegenwvart Gottes*, 8, *Leichen-Predigten*, 1670, 4, et longe plures adhuc in ſcriniis S. Rev. BOERNERI noſtri latentes. Idemque aſſervat Epiſtolas

 mul-

(e) Hanc Vitembergae A. 1637 Praeſide GVIL. LYSERO habuit, ſed ipſe conſcripſit, ut teſtatur in *Com. MS.*

multas lectu dignissimas, quibus consilium rebus Theologicis aut Philologicis expetebant Viri doctissimi, HENRICVS HOEPFNERVS, IAC. WELLERVS, IO. BVXTORFIVS, IO. ZECHENDORF, IO. FRISCHMVTHIVS, aliique, imo ipsi Viri Principes, IOANNES GEORGIVS II, Elector, cuius multae adhuc suavissimae exstant Epistolae, et RVDOLPHVS AVGVSTVS, Dux Brunsuicensis, qui, cum de versione S. Scripturae, a SAVBERTO confecta, lis glisceret, GEIERI potissimum sententiam exquiri voluit. Magnum inprimis in manibus amantissimi Collegae nostri est Volumen literarum, quas ABRAHAMVS CALOVIVS et IO. MESNERVS de acerbissima inter ipsos mota lite Viteberga ad GEIERVM, ceu arbitrum, transmiserant, quorum animos apta et huic negotio accommodata ratione flexit, ut a publicis scriptis temperaverint, et digladiandi animum deposuerint. Quo ipso ut singularis moderationis documentum dedit, ita merito de eo iudicavit HERMANNVS CONRINGIVS, neminem ad dirimendas, quae CALIXTO eiusque asseclis cum quamplurimis intercedebant, lites GEIERO aptiorem magisque idoneum esse. Ceterum, quod ad rem familiarem B. GEIERI nostri attinet, duas quidem uxores duxit, primam *Margaretham*, ZACHARIAE SCHVRERI, Bibliopolae

apud

apud Lipſienſes clariſſimi, filiam unicam, alteram *Chriſtinam Eliſabetham*, D. IO. BENEDICTI CARPZOVII, Paſtoris ad D. Thomae, et Profeſſoris Theol. celeberrimi, filiam unicam. Nec ſterile fuit utrumque coniugium, quamvis, qui e SCHVRERIA nati erant, omnes vix ſatis matura aetate deceſſerint: e CARPZOVIA vero ſuperſtites habuit duas filias, *Catharinam Eliſabetham*, et *Ioannam Chriſtinam*, filiumque *Ioannem Chriſtianum*. Et vidit quidem filias ſummis in Republica Viris collocatas, illam nempe IOANNI GEORGIO BOERNERO, cauſarum tum Patrono exercitatiſſimo, ac poſtea ad Eccleſiae ac Aulae Conſilia a ſummo Principe vocato, cuius adeo curis plurimum hactenus debet Academia noſtra, alteram vero Perilluſtri hodie et Excellentiſſimo Viro, IOANNI AEGIDIO ALEMANNO, Dynaſtae clientelarum Schmidebergae, Potentiſſimo Regi noſtro a Conſiliis ſanctioribus, et ſupremi rerum metallicarum Directoris vicem gerenti, cui quantum obſtringatur univerſa Saxonia, omnes, nobis etiam tacentibus, ſatis intelligunt. Superſunt vero hoc tempore e *Boerneriano* thoro ſupra laudatus BOERNERVS noſter, qui ad famam et laudes magni Avi feliciſſime adſpirat, ex *Alemanniano* filia unica, virtutibus ſexum

 de-

decentibus ornatiſſima, IOANNA ELISABETHA, nupta illuſtri et Generoſiſſimo Viro, IO. FRIDERICO DE HORNIG, Dynaſtae in Zingſt, Potentiſſimo Regi Pruſſiae a Conſiliis Camerae Ducatus Magdeburgici. Qui unicus ſupererat GEIERIANI nominis haeres, IO. CHRISTIANVS, in medio aetatis flore, dum Magiſtri dignitatem apud nos nactus, veſtigiis B. Parentis ſtrenue inſiſteret, rebus mortalibus ereptus eſt quidem A. 1687 d. 24 Febr. at memoriam tamen ſui reliquit acceptisſimam Muſis noſtris, quibus victu neceſſario proſpexit.

DISSERTATIO IX.
DE
HONORIFICO MAGISTRI NOMINE, EIVSQVE IVRIBVS INSIGNIORIBVS.

DUm ad capſſendos ſupremos in Philoſophia honores iuveniles animos erigere atque incitare conſtituimus, id agendum nobis videtur, ut nec eorum probemus timiditatem, qui perpetuo ad pedem Heliconis haerentes, dignitates omnes

mnes faſtidiunt, et faſtum reprimamus illorum, qui ad ſplendidos Magiſterii titulos non ſecus atque ad tiaram vel diadema rapiuntur. Etenim, ſi primam vocis in Romana Republ. conſuetudinem contueamur, principes ex omni ordine viros Magiſtros appellatos fuiſſe deprehendimus. Habebant Romani *Magiſtrum Officiorum*, quem ſequiori atque ipſa Caroli M. aetate *Magiſtrum Aulae Imperialis*, et hoc tempore in aula Rom. Pontificis *Magiſtrum ſacri Palatii* dictum novimus: *Magiſtrum Scriniorum*, qui *Magiſtros Memoriae*, *Libellorum*, *Epiſtolarum*, *Diſpoſitionum*, complectebatur: *Magiſtrum Archivi*, cui *Archeota* ſucceſſit: *Magiſtrum Admiſſionum*, quem *Oſtiariorum* poſtea dixere. Quid referam *Magiſtrum Populi*, ſeu *Dictatorem*, *Magiſtrum* porro *curiae*, *cenſus*, *ſocietatis*, *pagorum*, aut *vicorum*, ſeu *Vico-magiſtrum*, tum in re ſacra *Magiſtrum Collegii Augurum*, *Larum*, *Saliorum*, *Fani*, denique *Magiſtros militiae*, *navium*, *armorum*, *equitum*, *peditumve*? Quin et *Magiſter* erat *plauſus*, qui Muſicam ordinabat, et *Magiſter bibendi*, qui leges ferebat bibiturientibus, ut alios taceam longe plures. Tranſiit inde nomen ad ſcholas, primaque Pariſienſis Academia *Magiſtros* habuit *Scholarum*, quorum

prin-

princeps *Magiſtri Maximi* elogio ſuperbiebat. Non memorabo eos, qui *Magiſtri* nomine in re literaria fuere illuſtres, *Magiſtrum Sententiarum* LOMBARDVM, *Magiſtrum Decretorum* GRATIANVM, *Magiſtrum Hiſtoriae Scholaſticae* PETRVM COMESTOREM, tum et Graecos, THOMAM *Magiſtrum*, SIMEONEM *Magiſtrum* LOGOTHETAM, aliosque; illud mihi praecipue viſum eſt memoria dignum, tantam olim Seculo XII in univerſa Gallia *Magiſtri* fuiſſe exiſtimationem, ut nemo ad ſuprema in Eccleſia et Republ. munia admitti poſſet, qui *Magiſtri* honores non eſſet conſecutus, ipſique Cardinales et potentiſſimi in curia Regia viri titulum hunc ceteris omnibus anteponerent, quod diſerte docet doctiſſimus BVLAEVS. (a) Atque id et alibi eveniſſe obſervamus, quoties ipſe Princeps amaret bonas literas, quod Anglorum inprimis Annales teſtantur. Iacobo I imperante, Magnae Britanniae Rege, quem ob ſingularem in ſtudia ardorem Henricus IV, Galliae Rex, *Magiſtri (Mons. le Maitre Iacques)* elogio compellare conſueverat, nemo erat paulo in aula ſpectatior, quin publico ac ſolenni ritu *Magiſterii* honores capeſſeret; et, quo quis fortius ſub Carolo I in obſidione Oxonienſi

(a) In *Hiſt. Acad. Pariſ. Tomo II p.369.*

niensi causam optimi Principis tuebatur, (pugnabant vero certatim pro Rege studiosi iuvenes,) hoc promtius consequebatur *Magistri*, vel Doctoris, titulos ac privilegia, scilicet ne laurea deesset in utroque campo, Martis, et Apollinis, strenue decertantibus. Equidem et fuere tempora, cum perexigua haberetur Magistrorum ratio, sive quod Magistelli immenso numero veluti fungi una nocte propullularent, sive quod optimarum literarum amor barbaris et obscuris Seculis refrigesceret. Nam et MICHAEL MONTANVS suo tempore idem fuisse narrat *Magistri* atque *Paedantae* cognomen, teste HVBERO, (b) et, si NAVDEO credimus, (c) spectatur Romae Epitaphium, cuius haec Inscriptio: *Hic iacet Iodocus, qui fuit Romae coquus, Magister in Artibus, et Doctor in partibus; de gratia speciali mortuus in hospitali.* Atque ita fit utique, ut nihil sit tam eximium, nihil tam laudabile ac gloriosum, quod, ubi abusus accesserit, derisioni haud exponatur ac despectui. Nostra certe Academia eam hactenus ab aequis rerum arbitris ipsisque adeo exteris laudem obtinuit praecipuam, quod bardos, stupidosque, ac inficetos, et vervecum e patria natos, a summis hono-

(b) *Or. X.*
(c) In *Dial. le Mascurat p. 6.*

honorum titulis longiſſime arceat, iique demum docti, probi, literisque perpoliti et ſubacti, vulgo cenſeantur, qui ex alma Lipſienſi Academia lauream deportarunt. Quodſi vero et iura atque privilegia, quae noſtris competunt Magiſtris, perpendere paulo diligentius velimus; nullam omnino eſſe Academiam, quae cum noſtra componi penitus queat, vix erit quisquam, qui dubitare auſit. Non urgebo nunc illud, quod *Rex Potentiſſimus*, ceterique Academiae *Nutritii benigniſſimi*, in Literarum, quae ad Academiam mittuntur, inſcriptionibus (*dem Rectori, Magiſtris und Doctoribus der Vniv. Leipzig* etc.) Doctores Magiſtris poſtponant, quod olim et a Carolo V factum fuiſſe, apud GOLDASTVM (d) legimus. Id enim ex eo ortum conſtat, quod ſuperioribus Seculis, qui ſupremum in Theologia gradum conſecuti eſſent, Magiſtri potius Theologiae, quam Doctores, appellarentur. Idemque in Iure etiam ac Medicina antiquiſſimis temporibus obtinuiſſe, proclive eſt, quandoquidem, Seculo demum XIII Doctoris vocem auditam fuiſſe, obſervarunt viri eruditi. Quamprimum itaque, ut reliqua perſequamur, Magiſter fueris ſalutatus, nullis tibi ambagibus utendum, nec,

(d) In *Conſt. Imp. p.* 245.

nec, quod fit alibi, a praeceptore in cathedram inferiorem deducendus es; suprema patet; neque enim decorum est, ex hac ipsa, quam iam semel superaveras, rursus ad infima descendere, ut loquuntur leges nostrae; atque ita sumtuum quoque compendium facies. Cum probe depugnaveris, nulla ad docendum indulgentia opus habes; utere iure tuo, et ad scholas Philosophicas publice invita iuvenes studiosos: nam et lubens volensque Decanus Facultatis nostrae, et gratis, calculum apponet. Licebit vero philosophari libere: dudum enim a nobis exulavit lex crudelis iurandi in verba Magistri; id caveas tantum, ne aut rationem aut sanctam religionem laedas: nugivendulis enim et obscoenis divini Numinis contemtoribus nullum in Philuraea praesidium. Patet hinc aditus ad sacros Patrum consessus; quoties vel Rector eligitur Academiae Magnificus, vel Canonicus, vel Syndicus, vel Decemvir, vel Senior, vel Assessor Concilii, non erit minoris ponderis suffragium tuum, etiamsi infimum locum tuearis, quam vel Primicerii, vel Secundicerii, aut cuiuscunque e Docemprimis, ut vocabulis utar scholae veteris. Deinde habes paratam ad honores et praemia viam. Nam, ubi bina Disputatione dignum te praestiteris,

teris, allegeris in consortium Assessorum Facultatis Philosophicae, tumque et locus tibi patebit inter Quatuorviros in Concilio perpetuo, quo tota regitur Vniversitas, quem honorem tanti habitum fuisse a viris haud obesae naris meminimus, ut, quamvis alibi summis muneribus praefecti, adduci tamen haud potuerint, ut titulum *Assessoris Concilii perpetui Lipsiensis* abiicerent. Et quotusquisque ignorat, saepissime Magistros nostros, spectatissimis ex omni ordine, etiam Professorio, Viris insuper habitis, in Collegiatorum numerum adscitos, eoque illorum rei familiari pulchre fuisse prospectum. Enimvero haec ita comparata sunt, ut facile allicere possint Viros iuvenes ingenuos, doctos, probos, diligentes, quibus de meliori luto finxit praecordia Titan.

DISSERTATIO X.

DE

HISTORICORVM IN REBVS NARRANDIS INTER SE DISSIDIIS, HORVMQVE CAVSIS.

CUm una sit, constans atque immutabilis, rerum gestarum veritas; nae mirum

mirum videri poterat, Historicos plerosque omnes maximopere inter se diffidere, in quibus tamen nemo facile deprehenditur, qui non publice profiteatur, se nihil admisisse, quod veritati minus sit consentaneum. Enimvero de his, quae longissime a nostra aetate remota sunt, non admodum nunc ero solicitus, cum pleraque parum fidis autoribus, imo incerto saepe rumori, debeantur. *Infida est enim*, ut graviter loquitur superioris Seculi Historicus, (a) *veritatis rerum gestarum custos et conservatrix vulgi fama, quae plerumque vana a vanis et ignaris accepta autoribus pro certis arripit, sincera pro libidine singulorum augendo atque immutando corrumpit, et in omnibus fere plus aurium voluptati studet, quam veritati.* Et, quod IOSEPHVS de scriptoribus Graecis olim professus est (b), in universi orbis historia locum habet; nimirum, *cum ab initio non fuerit studium publicas de iis, quae aguntur, proferre tabulas, hinc praecipue et error et potestas mentiendi posteris, velut aliquid scribere volentibus, concessa est.* Accedit, quod suae quisque patriae amore ducitur maxime, quo fit, ut in originibus seu rebus

 anti-

(a) ARN. OIHENARTVS in *Notit. utr. Vascon. p.* 213.
(b) *Lib. I adv. Appion. Grammat.*

antiquis regnorum ac rerum publicarum, quarum cives ſunt, recenſendis huic mentiendi libidini ſubentius indulgeant Scriptores, tanto quippe plus felicitati ſuae accedere rati, quanto vetuſtiores nobilioresque aut gentis aut imperii ſui origines finxerint. Res digna riſu iam olim LVCIANO viſa eſt, qui, *at, urbes iam gentesque totas*, inquit, (c) *una voce ac publice mentiri, an non hoc ridiculum? veluti cum Cretenſes Sepulchrum Iovis oſtendere non pudet: Athenienſes Erichtonium editum e terra ferunt, primosque illos homines in Attica olerum more ex terra emerſiſſe. Hi autem multo verecundiores, quam Thebani, qui ex ſerpentis dentibus ſativos quosdam progerminaſſe narrant: quod ſi quis haec, cum ſint ridicula, vera eſſe non credat, ſed ea prudenter examinet, impius nimirum hic atque inſanus videbitur: usque adeo obtinet mendacium.* Vt taceam Arcadum fabulas, (d) qui *Proſelini*, velut ante Lunam nati, dici amarunt; praecipua olim Athenienſium laus erat inter Graecos, quod αὐτόχθονες, ſeu Aborigines, appellarentur, atque ſoli adeo eſſent indigenae terrae parentis. Nec defuere inter veteres Scripto-

(c) in *Philopſeud.*

(d) POPELINIERE in *Hiſt. des Hiſt. Part. II p.* 106.

ptores, qui poſt TIMAGENEM Graecum, Gallos, Hiſpanos, Italos, aliasque gentes, in patriis ſedibus veluti fungos e terra natos traderent. Atque id tolerandum forte in his, qui, unicam eſſe mortalium omnium ſtirpem, ex Moſe nunquam didicerant: at, quod poſt C. TACITVM, ANDREAS ALTHAMMERVS, ANT. COCCIVS SABELLICVS, et plures alii, Germanos, ac poſt I. CAESAREM, POLYDORVS VERGILIVS, et reliqui, qui in maxima luce verſabantur, Britones inter Aborigines referendos eſſe contenderunt, id quidem et mirum cunctis et prorſus abſonum videbitur. Nimirum ſuam quisque gentem, ſuos Principes, extollit; quod Romanorum inprimis Scriptorum exemplis patet. Quis enim non videt, TITVM LIVIVM (e) per univerſum Hiſtoriae ſuae corpus Romanis blandiri maxime, eorumque hoſtes, Gallos inprimis, ubique contumelia afficere ac proſcindere? De VELLEIO, qui totus in laude verſatur, abunde conſtat, quam callide, quavis arrepta occaſione, et Auguſto et Tiberio aſſentiatur. Nec alio comparata videntur, quae VALERIVS MAXIMVS collegit, exempla virtutum, quam ut Romanos Imperatores, ac praecipue Tiberium,

(e) Idem *p.* 44 *et* 63.

rium, quem veluti Numen quoddam in prologo invocat, ad coelum usque laudibus extolleret. *His laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendacior,* ut TVLLIVS (f) queritur. *Multa enim,* pergit, *scripta sunt in ea, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures Consulatus, genera etiam falsa.* Iam, ut ad recentiores veniamus, nulla aeque gens aliorum res bene gestas dispicit, suasque promtius laudat et commendat, ac Gallica, quae sola tamen aliis scribendae historiae viam demonstrare conatur, ut ex scriptis BODINI, LANCELOTI DE LA POPELINIERE, MOTHII VAYERII, RAPINI, aliorumque, constat. Enimvero, ut taceam, per aliquot Secula pro lilio Francico et ampulla Remensi, veluti pro Palladio, acerrime pugnasse Scriptores Gallicos, ac nostra demum aetate cordatiores aliquos verum fateri coepisse; quotusquisque est, qui, ubi in bellis Hispanicis, ac praesertim Anglicis, magnas saepe copias ab exigua manu fusas dissimulare non potest, aut ducum imprudentiam aut pigritiam militum accuset? Neque tamen in iis rebus, quae Callos inter et Anglos gesta sunt, IOANNI FROSSARDO, Historico, fides adhibenda est, qui, Valentianae quippe

(f) In *Bruto.*

pe in Hannoniae Comitatu natus, Philippae, Guilielmi III, Comitis Hannoniae, filiae, eiusque marito, Eduardo III, Angliae Regi, aeque, ac eiusdem successori, Richardo, a quo fuerat multis beneficiis provocatus, paullo plus assentitus creditur. (g) Quare aliqui potius commendant ENGVERAMVM MONSTRELETVM, qui, cum Cameraci viveret, quae urbs tum a Gallorum tum Anglorum Burgundorumque partibus aliena erat, liberius scripsit, quamvis, cum nec Gallis, nec Anglis, nimium faveret, affectum interim erga Burgundicam domum celare omnino non potuerit. Ita pariter in iis rebus, quae Gallos et Burgundos intercessere sub Ludovico XI, nec COMINAEVM, Scriptorem praeclarum, qui nimium tamen dedit amori erga Regem, cuius aulam sequebatur, nec IACOBVM MAYERVM, non indiligentem Annalium Rerum Flandricarum autorem, (h) qui Ludovicum perfidum et fratricidam subinde vocare non veretur, fidem mereri, verum his longe praeferendum PAVLVM AEMYLIVM, patria quippe Veronensem, nec ipsi Galli diffitentur. De BELLAIO, cuius Commentarii Gallici

(g) BVLLART *Acad. des Scienc. p.* 125.
(h) LA MOTHE LE VAYER *de l' Hist. Opp. T. II p.* 172.

plerisque ſunt in deliciis, teſtatur MICHAEL DE MONTAIGNE, (i) quod Advocatum potius egerit Franciſci I, quam Hiſtoricum, cuius, ne quid humani paſſum fateretur, amores quoque ſolicite celaverit, adeo, ut ne ſemel quidem Stampenſis mentionem fecerit. Quibus, neſcio, num addi mereatur ANTONIVS VARILLASIVS, mendaciorum iam pridem convictus, qui, quod eſſet natus Marchiae *(la Marche)*, vel ea de cauſa de Principibus Borboniis, Dominis ſuis, nunquam niſi honorificentisſime locutus perhibetur. (k) Ita pariter ſe res habet cum Hiſpanis, ſi unum forte excipias CASPARVM IBANEZ DE SEGOVIA, qui primus noſtro tempore civium ſuorum fabulas liberius revelavit; reliquos omnes vere dixeris egregios laudum ſuae gentis buccinatores. Ecquid enim HIERONYMVM ROMANVM DE LA HIGVERA, ANT. LVPIANVM ZAPATAM, GREGORIVM DÈ ARGVEZ, aliosque, de quibus et alibi diximus, (l) permoviſſe putemus, ut tot Chronica ſuppoſititia, FLAVII nimirum LVCII DEXTRI, MARCI MAXIMI, BRAVLIO-

(i) *Eſſais L. II Cap.* 10.
(k) MARVILLE *Mel. T. II p.* 394.
(l) in *Catal. des princ. Hiſt. p.* 324 *ſeq.* it. *Decl. de Charl. p.* 126.

LIONIS, HAVBERTI, LVITPRANDI, obtruderent orbi erudito, quam ut, avitam pietatis gloriam Hiſpanis aſſerendo, fucum facerent lectoribus. In civili Hiſtoria plerique vel amorem patriae nimium vel odium produnt aliarum gentium, quod nec ipſe IO. MARIANA diſſimulare potuit, ſcriptor tantae cetera dexteritatis, ut nihil eorum, quae perperam a Regibus geſta ſunt, reticuerit. Is vero, quoties Gallorum fit mentio, eos invidia gravare ac proſcindere haud veretur. De HIERONYMO SVRITA, gravi Scriptore, obſervant, quod, cum inſigne aliquod praelium deſcribat, longe plurimos, qui interfuerint, enumeret, ſaltem ut nobilioribus quibusdam familiis, quibus ſe obſtrictum ſenſit, blandiretur. Inprimis autem aliorum cenſuram in ſe provocavit PRVDENTIVS SANDOVALIVS, qui in Hiſtoria Caroli V, tum maiores eius inde usque ab Adamo iuſta ſerie enumerat, tum cuncta ab illo, velut a quodam Numine, geſta miratur et ſuſpicit; qua de re elegans exſtat MOTHII VAYERII Diſſertatio. (m) Sic, ſi Hiſpanos ſcriptores cum Luſitanis vel Belgicis conferas, proh quantum ubique diſſidiorum apparet! Nec Angli ſuae gentis amore vacant, qui ceteras na-

(m) in *Opp. T. I p. 213 ed. in f.*

nationes alto plerumque ſupercilio deſpiciunt, et praeterea partium, quas ſequuntur, ſtudiis ita dividuntur, ut, ſi e. g. RICHARDVM BAKERVM, eiusque continuatorem, EDVARDVM PHILIPS, et praecipue ROBERTVM BRADY, legas, Reges Angliae a primis initiis ad haec fere tempora haereditario ac nullis legibus circumſcripto iure Anglis imperaſſe, ſi IOANNEM MILTONVM, IACOBVM TYRREL, aliosque, eos nunquam non regni ſenatui, quem Parliamentum vocant, ſubfuiſſe putes. Accuſat Henricum VIII NICOLAVS SANDERVS, multisque conviciis onerat; contra egregie tuetur GILBERTVS BVRNETVS, cui publicas ideo grates decrevit ſuprema regni curia: at huius tamen Hiſtoriam *fabularum farraginem* nuper admodum vocare auſus eſt THOMAS HEARNE. (n) Quantum in hiſtoria Caroli I ſcriptores diſcrepent, publice conſtat. Quis enim GEORGII BATEI, PHILIPPI VARVICII, EDVARDI Comitis CLARENDONI, aliorumque, qui Regis cauſam agunt, tum GVILIELMI DVGDALE, THOMAE MAY, EDMVNDI LVDLOVII, ROBERTI PVGH, MILTONI, et ceterorum, pro Cromvvello et Regni Curia ſcripta ignorat? Quae

(n) in *Praef. Collectan.* LELANDI §. 19 *ſq.*

Quae ſi quis inter ſe componat, difficulter admodum verum a falſo diſtinxerit. Idem de Italis, Germanis, aliarumque gentium Scriptoribus, ſi prolixis nobis eſſe liceret, doceri poſſet, cum vix ullus ſcriptor deprehendatur, qui non aliquid aut affectui in patriam et principem, aut odio erga inimicos, dederit. Inprimis vero et ſpe metuque, quae tyrannos Hiſtoricorum nonnemo vocavit, ducuntur plerique, ut multum adeo interſit, ea, quae ad vitam ac ſtatum cuiusque ſcriptoris pertinent, habere perſpecta. Et, quamvis ſint forte, qui nec ſperent, nec metuant; attamen iidem perſaepe natura ſua ſingulari quodam affectu in hos, odio in illos, feruntur, ut, tametſi nullam eius rei cauſam inveniant, aliorum tamen perperam geſtis colorem inducant, aliorum pulchra facinora opprimant vel accuſent, nec, quo conſilio, quam prudenter res geſta ſit, diſpiciant, verum ex eo potius iudicent, prout res vel bene vel ſecus cecidit. Alii amicis liberalius ſtudent; qua in re omnium inſtar eſt PAVLVS IOVIVS, circulator Hiſtoricorum (o) haud immerito dictus LANCELOTO DE LA POPELINIERE; (p) quippe interrogatus, cur vera falſis miſceret, procul omni pudore

(o) *Le vray Charlatan des Hiſtoriens.*
(p) in *Hiſt. des Hiſt. T. II p.* 172.

dore reſpondiſſe fertur: ut amicis gratificaretur; (q) nam, de fama admodum ſe ſecurum, addebat, quod, licet unus forte errores ſuos detexerit, reliqui tamen, operis pulchritudine deluſi, facile fidem habituri ſint in his, quae perſuadere lectoribus ſuis conſtituerit. Denique multum etiam ipſa valet religio, quam, ſive vera ſit et ſalutaris, ſive ſpuria, multum detrimenti paſſuram, exiſtimant Scriptores, ſi verum fateantur. Itaque in ſuae partis hominibus nihil agnoſcunt, quod non ſanctum, pium, iuſtumque fuerit, et, ſi quid humani admiſerint, premunt, aut certe egregie palliare ſtudent, contra, quae ab adverſa parte praeclare geſta ſunt, identidem carpunt et ſugillant. Ita IVLIANVS Imp. non alia de cauſa maiorum ſuorum, Conſtantini M. inprimis, aliorumque, qui Chriſtianorum ſacra propagarunt, res perſtrinxiſſe fertur, quam quod ipſe ſacra iſta deſeruiſſet, et IVLIANO tamen, Principi, ſi religionem excipias, incomparabili, pariter iniquiores fuiſſe Patres, (r) luculenter demonſtravit PETRVS CVNAEVS. Utque in ZOSIMO paganae, (ſ) ita in EVSEBIO, SOCRATE, SOZOME-

(q) Ibid.
(r) *Act. Er. ad A.* 1683 *p.* 311.
(ſ) POPE-BLOVNDT *Cenſ. p.* 209 *ſq.*

ZOMENO, THEODORETO, et reliquis, Chriſtianae religionis ſtudium nimium reprehendunt veri rerum aeſtimatores. Et, ſi recentiorum, ſpeciatim in Belgio Remonſtrantium et Adverſariorum, inter ſe ſcripta componamus, vix ſatis liquet, VYTEMBOGARTONE, an TRIGLANDIO, an RVILIO, vel LEYDEKKERO, fides adhibenda ſit; quin et ipſa Acta Synodi Dordracenae, quae ſeorſim pars utraque edidit, mirum in modum inter ſe diſcrepant. Idem de Pontificiis ERASMVS fatetur, quando, *nulli*, inquit, (t) *laudibus invidioſius extulerunt Franciscum quam qui illius erant diſſimillimi moribus et vita. Contra, qui ſe vocant Auguſtinenſes, efferebant Auguſtinum ſuum, nec a conviciis in Franciſcum temperantes: Dominicani Dominicum, ac Thomam, et Catharinam Senenſem, ultra aequum efferebant. Nimirum hic*, pergit, *eſt affectus humanus, quo quaeque provincia favet ſui patroni laudibus, ut Romani favent Petro, Graeci Paulo, Pariſienſes Dionyſio, Helvetii Gallo, Germani Henrico, Imperatori, Angli Georgio, atque idem de ceteris.* Imo ne noſtros quidem omnes neutrarum partium Scriptores dixeris, cum ea deſcribunt, in quibus religionis commoda verſantur. Neque enim ipſe SLEIDA-

(t) *Eccleſiaſt. L. II p.* 286.

DANVS, qui nihil admisit, quod a vero alienum esset, dissimulare satis potuit, quod Protestantibus faveret. Haec hactenus. etc.

DISSERTATIO XI.
DE
CAERVLEI COLORIS VSV APVD VETERES.

CVm nuper fama allatum esset in Angliam, classem instructissimam, Suecica navium signa monstrantem, in littore Britannico visam esse, cum mox deinde compertum est, fuisse Belgicam, plures mirati sunt, quo pacto Belgicae naves, quae rubri potissimum coloris signa gerunt, pro Suecicis caeruleo colore insignibus haberi potuerint. Qua occasione de caerulei coloris usu, quantum e veterum monumentis constat, nonnihil hoc loco commentari in animum induxi, de aliis forte coloribus alibi dicturus. Etenim videtur ipsa natura gaudere colore caeruleo; quando et caelum (*caeruleum* enim quasi *caeluleum* dici, quidam (a) observant,) quod Deorum domicilium vocant,

(a) IOSEPH. LAVRENTIVS *de re vest. Cap.* 6.

cant, et mare, quod caeli faciem quodammodo aemulatur, iucundo hoc colore nitet, unde *caerula aequora* CATVLLVS, (b) et *freta caerula* VIRGILIVS (c) vocat. Ex quo facile patet, cur Plancus caeruleus caputque arundine redimitus, Glaucum, piſcationibus quippe maritimis celebrem, ſaltaſſe perhibeatur P. VELLEIO. (d) Inprimis vero hic producendus mihi erit EVSTATHIVS, HOMERI Scholiaſtes, qui eos, qui particulam ex Iliade recitare olim dramate conſueverint, rubra veſte, qui ex Odysſea, caerulea indutos fuiſſe teſtatur, quod apte ſane ad rem factum, cum Ilias circa navigationes, quae in mari inſtituuntur, potiſſimum verſetur. Sed dignus eſt locus, quem exſcribamus: (e) Ἐι τὴν Ὁμηρικὴν ποίησιν, οἱ ὑπεκρίνοντο δραματικώτερον, τὴν μὲν Ὀδύσσειαν ἐν ἁλουργοῖς ἐσθήμασι, τὴν δὲ Ἰλιάδα ἐν ἐρυθροβαφέσιν, ἐκεῖνο μὲν κατὰ τοὺς παλαιοὺς, διὰ τὴν ἐν θαλάσσῃ πλάνην τοῦ Ὀδυσσέως, τοῦτο δὲ διὰ τοὺς ἐν Τροίᾳ φόνους καὶ τὰ ἐντεῦθεν αἵματα. Quo plane pertinet, quod ANT. THYLESIVS (f) obſer-

(b) *LXIV.*
(c) *Aen. X v.* 209.
(d) *Hiſt. L. II Cap.* 83.
(e) EVSTATHIVS in *Comm. in Hom. p. 6 Ed. Rom.*
(f) *de Color. Cap. I ap.* GRONOV. *Th. A. Gr. T. IX pag.* 713.

obſervat, veteres nimirum Iliada HOMERI propter caedes, de quibus illic Poeta loquitur, colore exornaſſe ſanguineo, Odyſſeam vero, ubi Ulyſſis maritimos ſcribit errores, membrana contexiſſe caerulea. Et ipſe Neptunus, (g) Maris Deus, non ſolum totus *caeruleus* audit, verum et κυανοχαίτὸς, h. e. caeruleis crinibus, et γλαυκωπὸς, glaucis oculis, vulgo repraeſentatur. Equidem et Minerva frequentiſſime γλαυκῶπις HOMERO dicitur, quae, ſi ad Libycas fabulas recurramus, Neptuni et Tritonis lacus filia fuiſſe traditur, quamvis nonnihil hic diſcriminis agnoſcant Latini cum M. TVLLIO, (h) qui *caerulos* Neptuno, Minervae vero *caeſios* oculos attribuunt; caeſios vero ideo vocare amant, quod caedem oculis minetur Dea ferox et aſpera. (i) Memoratu dignum etiam, quod SVETONIVS (k) refert, M. Agrippam in Sicilia poſt navalem victoriam caeruleo vexillo ab Auguſto fuiſſe donatum; et DIO CASSIVS, (l) qui idem poſt victoriam Actia-

(g) LVCIAN. *de Sacrific.*
(h) *de Nat. Deor.*
(i) THYLESIVS *l. c. Cap.* 2.
(k) *Aug. Cap.* 25.
(l) *L. I pag.* 458.

Actiacam contigisse testatur, causam diserte addit: Τὸν μὲν Ἀγρίππαν ἄλλοις τε τισὶ καὶ σημείῳ κυανοειδεῖ ναυκρατητικῷ προσεπεσέμνυνε, *Agrippam praeter alios honores vexillo caeruleo, victoriae navalis testimonio, ornavit.* Quin et observatum est, Romanos in conscribendis equitibus caeruleo vexillo usos, quod equus Neptuno, caeruleo dicto, sacer esset. (m) Et spectant huc quoque, quae de exploratoriis veterum navibus FLAVIVS VEGETIVS habet. Nimirum, *ne candore prodantur*, inquit, (n) *colore Veneto, qui marinis est fluctibus similis, vela tinguntur, et funes: cera etiam, qua ungere solent naves, inficitur. Nautae quoque vel milites Venetam vestem induunt, ut non solum per noctem, sed etiam per diem, facilius lateant explorantes.* Cumque naves has *Pictas* vocari Britannis, idem VEGETIVS asserat, hinc GVIL. CAMDENVS (o) arguit, ipsam quoque Scotiae gentem antiquissimam, quae caerulei, seu Veneti, coloris herba incisas studio corpori cicatrices inficiebat, (nimirum ut hoc horribiliore sint in pugna aspectu, ut autor

(m) SPENERVS in *Theor. Ins. P. I p.* 125.
(n) *de re milit. L.IV Cap.* 37.
(o) in *Britannia p. m.* 41.

autor eſt I. CAESAR (p), nomen *Pictorum* ſortitam eſſe. Quo utique pertinet CLAVDIANVS (q):

Inde Caledonio velata Britannia monſtro
Ferro picta genas: cuius veſtigia verrit
Caerulus Oceanique aeſtum mentitur amictus.

Quanquam paulo altius rem repetit Io. PICARDVS, (r) qui ab Agatharſis, Scythiae populis, qui et ipſi *Picti* dicti fuerint, quod capillis eſſent caeruleis, (†) et faciem haberent verſicolorem, propter mentitum, quem ſibi inducebant, fucum, non modo Scotorum Pictos, ſed et Aquitaniae, Gallicae provinciae, habitatores, Pictones, ſeu Pictavos, derivat. Imo et hodie morem illum in gentibus, quae Magellanicum ſinum accolunt, vigere, DIONYSIVS VOSSIVS (ſ) obſervat; et in Africa foeminae, conciliandae gratiae cauſa, non manus modo et pedes, verum et frontem

(p) *de B. G. Lib. V Cap.* 14. *Conf.* STEPH. FORCATVLVM *de Gall. Imp. et Phil. L. I p.* 32. *ſeq.*
(q) *Lib. II de laudibus Stiliconis.*
(r) *de priſca Celtopaedia L. IV p.* 160.
(†) Ita et *caerulam barbam* APVLEIVS *Mileſ.* 4I, et *amictum caerulum* idem *lib.* 10 memorat.
(ſ) *Not. ad l. c. I. Caeſ. p.* 118.

tem et goenas caeruleo colore inducere memorantur. Galli ſcutum Regum ſuorum, quod campum caeruleum liliis aureis ſparſum exhibet, magnopere extollunt, et Chlodovaeo Regi caelitus transmiſſum tradunt: (t) at, cum caeruleus color caeleſtis vulgo vocetur, forte non inepte quis exiſtimaverit, fabulam hanc inde ortum traxiſſe, quandoquidem et aliunde conſtat, multo recentiorem eſſe inſignium inventionem. Quomodo vero ex eo, quod color hic omnium ſit pretioſiſſimus et caeleſtis, Regibus Galliae ſupra alios Reges praerogativam vindicare poſſint Scriptores Galli, (u) haud ſatis liquet, cum idem affirmari queat de Suecis, qui coronas tres aureas geſtant in ſcuto caeruleo, nec non et de Auſtriacis, qui praeferunt quinas aquilulas vel alaudas aureas in ſolo cyaneo. Nec absque ratione in Gallia Equites S. Spiritus crucem cum figura columbae e faſcia caerulea ſuſpendere, ſibi perſuadent Scriptores Galli, (x) quod eo colore et magnanimitas, et fidei Chriſtianae, quam tuentur, puritas, deſignetur. Multas e-

 nim

(t) LA MOTHE LE VAYER *Oeuvres T. II p.* 301 *ed. in fol.*

(u) CHIFFLETIVS *in Lil. Franc. Cap.* 18 *p.* 126.

(x) VÁRENNES *le Roy d' Armes P. I p.* 33, VVLSON DE LA COLOMBIERE *Scienc. Her. Cap.* 4 *p.* 34.

nim colori huic, quem *Azur* vocant, virtutes adſcribunt Heraldici, iuſtitiam nempe, humilitatem, caſtitatem, felicitatem aeternam, tum laudem, pulchritudinem, modeſtiam, nobilitatem, victoriam, conſtantiam, opes, vigilantiam, delectationem: (y) quin et eundem colorem e ſeptem planetis Iovi et Veneri, e duodecim ſignis caeleſtibus Tauro et Librae, e totidem menſibus Aprili et Septembri, e ſeptiduo diei Veneris, e lapidibus pretioſis Sapphiro, (quo gratiam apud ſummos Principes conciliari, quidam finxerunt,) e quatuor elementis aeri, e quatuor anni partibus aeſtati, e complexionibus ſanguineae, ex aetatibus puerili, e numeris denique quarto et nono, attribuunt; quae tamen merito exploſit princeps Heraldicorum, SPENERVS. (z) Plura ſpeciatim de violaceo colore addi poſſent, quem Pontificibus et Viris ſacris familiarem et in aula Gallica luctui proprium eſſe conſtat; quae, ne prolixiores eſſe videamur, praetermittimus.

(y) DE BARA *Blaſ. des Arm. p.* 14.

(z) *P. I Cap.* 4. §. 35.

DISSERTATIO XII.
DE
ILLVSTRISSIMARVM STIRPIVM, AVSTRIACAE ET SAXONICAE, DIVTVRNA ET VINCVLO MVLTIPLICI CONFIRMATA CONCORDIA.

POtentiſſima Domus Auſtriaca, inde a *Rudolpho Habspurgico*, qui Seculo XIII ad imperii Germanici clavum, poſt diuturnum Interregnum, feliciter collocatus eſt, eximie floruit, et adhuc floret, ſummam in Imperio dignitatem et poteſtatem tenens. Sereniſſima Domus Saxonica, ex quo Ducatus Electoratu auctus ad VVitikindeos rediit, ſucceſſione continua gaudet. Raro iſta genti ſeu familiae cuidam ita propria et diuturna eſt felicitas, in honore, potentia, divitiis, aliisque rebus lubricis, poſita: ſaepe cum filiis aut nepotibus ipſa ſtirps, aut eius ſaltem claritas, interit. Qui ergo res in orbe geſtas conferunt, non poſſunt non intelligere, Deum in Archi-Duces Auſtriae tot terras, Ducatus, Regna, contuliſſe, ut eſſent, per quos Turcarum multoties repetitos impetus Chriſtiano orbi exitiales repelleret, et adverſus alios hoſtes libertatem tueretur et conſervaret. Domui Saxonicae Duces et

Electores, divina gratia, obtigere, qui fide et meritis in Imperium illuſtria cognomina *Piorum*, *Fortium*, *Gravium*, *Strenuorum*, *Bellicoſorum*, *Placidorum*, *Sapientum*, *Conſtantium*, *Magnanimorum*, *Animoſorum*, *Pacificorum*, ſunt conſecuti, quibus et Domus Auſtriacae incrementa promoverunt, et ſuae Domus potentiam auxerunt. *Sigiſmundus*, Imperator, *Friderico Bellicoſo*, tum ob Maiorum merita, et operam adverſus rebelles Bohemos, inprimis in Brixienſi praelio navatam, tum quod ob viciniam ditioni defendendae maxime idoneus haberetur, exſtincta in *Alberto III* Anhaltina Urſorum familia, Saxoniae Electoratum in Feudum dedit. *Fridericus II Placidus*, ſucceſſor Patris, pro *Alberto II*, Imperatore, in Bohemos bellum geſſit, quos ad Satium, deinde Sebritiam, fudit, et copias Polonicas diſſipavit. *VVilhelmus*, frater, Landgravius Thuringiae, ſocero ſuo, Imperatori, *Alberto*, contra Bohemos adſtitit, et, cum ob uxorem ſuam, *Annam*, Rex Bohemiae ab aliquibus deſtinaretur, amore tranquillitatis publicae amoreque Auſtriacae Domus iure ſuo abſtinuit. Cum Reges tres, *Caſimirus*, Poloniae, *Matthias*, Hungariae, *Vladislaus*, Bohemiae, in Sileſiam duxiſſent exercitus ſuos, de Regno Bohemiae dimica-

micaturi, *Erneſtus*, Elector, Princeps prudentiſſimus, providens mala, quae in Romanum Imperium ex iſto bello proventura erant, ipſe, et Elector Brandenburgicus, cum 6000 equitibus Vratislaviam progreſſi, pacis ſequeſtros ſe iis obtulerunt, addentes, hoſtes ſe fore ei, qui meliora conſilia aſpernaretur, et ambitioni modum ponere detrectaret. Quibus auditis, Reges legatos ſuos Vratislaviam miſerunt, et in conditiones pacis conſenſerunt. Frater Erneſti, *Albertus* Animoſus, Rolandus, Dextera Imperii cognominatus, in exercitu Imperii 80000 militum adverſus *Carolum* Burgundum labarum geſſit. Ab avunculo, *Friderico*, Imperatore, qui expectationem ſucceſſionis in Ducatibus Iuliacenſi, Cliviae et Montenſi, ſi *VVilhelmus* ſine maſculis decederet, promiſerat, rogatus eſt, ut contra *Matthiam* Hunniadem, fortiſſimum Hungariae Regem, a quo Vienna Auſtriae et alia occupata tenebantur, bello praefici ſe pateretur. Etſi vero nec auxilia nec pecuniae ſubminiſtrabantur, et ex ſuo furioſos milites ſedaturus, 30000 nummum ſolvebat, ad conditiones tamen aequas Matthiam adegit, faſſum, hunc ſolum obſtare, ne in media Germania caſtra figeret. *Maximiliano*, Regi Romanorum, a Brugenſibus capto,

accurrit, ſed iam reſtitutum reperit: Imperator autem ei curam filii, nepotis Philippi, cuius tutelam Gandavenſes ſibi vindicabant, et ditionum bellique imperium demandabat, Flandris cum hoſte Gallo conſilia agitantibus. Sed *Albertus*, militibus, ob non ſoluta ſtipendia tumultuantibus, ſuas pecunias erogans, ad obſequium reductis, urbes praecipuas obſeſſas occupavit: Ducem in ſolenni Principum Conventu Norimbergae Imperator praedicavit: *Philippus* etiam, Archi-Dux, Equitibus Aurei Velleris adſcripſit. Reverſus in Belgium, cunctos, qui adhuc repugnabant, ad obſequium *Maximiliani* redire compulit. Pace cum Friſiis facta, gubernationem provinciae, quam haereditarius Inperii Vicarius regeret, in compenſationem laborum et ſumtuum a *Maximiliano* Imperatore ſuſcepit. Cui gubernationi ſuo nomine *Henricum* filium praefecit: quem, a Friſiis, rectorem pati inſuetis, obſeſſum, Franeckerae ſuperveniens liberavit; at in obſidione Groeningae morbo correptus, vitam finiit. Poſt eius mortem filii, *Georgius* et *Henricus*, Friſiam rebellem, accepta magna pecuniae ſumma, Carolo V permiſerunt. *Fridericus III*, Sapiens dictus, Palatinum vel Bavaricum bellum compoſuit, et Electorem Palatinum, Philip-

lippum, proſcriptum, et ab omnibus Statibus deſertum, *Maximiliano I*, Imperatori, reconciliavit. Poſt Maximiliani obitum diverſae de creando Inperatore erant opiniones, diverſa Electorum ſtudia: cum duo potentiſſimi Principes, *Carolus*, Rex Hiſpaniae, et *Franciſcus I*, Rex Galliae, imperium ambirent, et uterque ſibi addictos in Senatu Electorum amicos ſuffragatores haberet: tum divinitus *Friderico*, Saxoniae Duci, et Praeſidi Senatus, *Alberto*, Moguntino, ſuggeſtum eſt, ut primum iurarent Electores, ſe nullam electionem publice renuntiaturos eſſe, priusquam unus aliquis communi conſenſu deſignatus eſſet, alioquin diſſentientes Electorum ſuffragationes horribilibus diſcordiis et bellis Germaniam totam implicaturae fuiſſent. Tandem poſt graviſſimas et acres in ſummo illo Imperii Senatu diſputationes, cum, Galliae Regis cauſam ſe obtinere non poſſe, ipſius ſuffragatores cernerent, ad *Fridericum*, Saxoniae Ducem, imperium detulerunt. Erant, qui, quod bene ei vellent, valde ſuaderent, ut imperium oblatum acciperet, ac, ſi ipſe honorem hunc ſummum non cuperet, Domum tamen ſuam ad tantam dignitatem eveheret. Is vero, ſe iam ſenem, et alieniſſimum ab ambitione, ſolam Reipublicae ſalutem ſpectare,

 di-

dicens, plane recusavit: nec quemquam alium, in quo cum summa potentia et felicitate virtus tanto muneri sustinendo par sit, quam *Carolum*, sibi videri, constanter pronuntiavit. Ita *Carolus*, in Hispaniis absens, communi Electorum consensu tandem Imperator renuntiatus est. Electi legati *Friderico* obtulerunt donum triginta millium florenorum, quos constantissime repudiavit: instantibus illis, ut tantum decem millia pateretur inter Ministros suos distribui, respondit: Accipiant, si velint, attamen nullus manebit postero die apud me, qui vel unum aureum acceperit, ac sine mora Francofurto abiit, ne ulterior ipsi crearetur molestia. Quam magnanimitatem retulit, qui ex ore Episcopi Leodiensis, electioni praesentis, audivit, ERASMUS ROTERODAMUS. (a) Talem cum nosset *Carolus*, absentis ab Imperio vices suas ei commisit, quas etiam pro *Friderico* et *Maximiliano* prudentissime gesserat. Post *Friderici* mortem Electoratus pervenit ad *Ioannem Constantem*. Hic, adolescens in Hungaria *Maximiliano* militans, primus Albae Regalis moenia conscendit, et in Italia operam militarem navavit. Eo regente, dissidium in religione exortum, ab ipso et Protestantibus gratiam Caesaris avertit, quod sub successore filio, *Ioanne Fri-*

(a) *Lib. XIII Epist. IV.*

Friderico in bellum exarſit, in quo victor Caeſar, victus *Ioannes Fridericus* et captivus Electoratum amiſit, quem in *Mauritium*, couſobrinum eius, tranſtulit. Iſte, avi animoſitate incitatus, anno vigeſimo primo aetatis, ductore ſummo exercitus Imperii, *Ioachimo*, Electore Brandenburgico, in Hungaria adverſus Turcas militare coepit. In obſidione Budae ab excurrentibus hoſtibus cinctus, equo confoſſo, cataphractus cecidit: accurrens Miniſter Nobilis Thuringus, *Io. Rübiſch*, eique incumbens, vulnera excepit, donec advenirent milites Saxonici, qui Principem liberarent. In bello quoque contra Gallos ſtrenue pugnavit. In initio belli illius Smalcaldici partes Caeſaris ſecutus eſt, ditiones *Ioannis Friderici*, iuſſu illius, occupavit, Magdeburgum ſibi deditum in fidem eiusdem accepit. Sed, cum poſtea ſoceri ſui, *Philippi*, Landgravii, promiſſam liberationem ſuis aliorumque precibus conſequi non poſſet, et religionis cauſa in periculo verſaretur, expeditione repentina ſuſcepta, permovit Imperatorem, ut *Ioannem Fridericum* et *Philippum* captivos clementiſſime dimitteret, et Pacem Religionis concederet. Poſt quae exercitum in Hungariam contra Turcas duxit *Mauritius*. Hunc ſecutus *Auguſtus*, cui, ſi

 fra-

frater decederet, ſucceſſio deſtinata erat, Electoratum adiit. Caeſari ſub fratre in bello Belgico, Gallico, et deinde in Germanico, meruerat. Quod in Conventu ſolenni Numburgico renovaſſent foedus haereditarium Domus Saxonica, Brandenburgica, et Haſſiaca, atque ſimul Auguſtanae Confeſſionis conſervationem decreviſſent, Caeſari ſignificavit, ne aliud ſuſpicandi cauſa eſſet. Pacem Religionis, Paſſavii *Mauritio* promiſſam, a Caeſare et Rege Romanorum confirmari urſit, et in Comitiis Auguſtanis obtinuit, in qua libera religio iuxta Auguſtanae Confeſſionis doctrinam atque fidem permiſſa, bona Eccleſiaſtica poſſidentibus Proteſtantibus relicta ſunt: tum ſelectos equites mille contra Turcas miſit: vivendo attigit quatuor Imperatores, *Carolum, Ferdinandum I, Maximilianum II, Rudolphum II*, quorum gratiam ſubiectione, fide, obſequio, mereri et conſervare ſtuduit. *Maximilianus*, cum quo et fratribus eius in aula Bohemica adoleverat, et amicitiam contraxerat, fratrem ſuum nominabat, et filio ſuo, Rudolpho, patris inſtar habendum proponebat: quos ambos etiam ſuo ſuffragio ad dignitatem Imperatoriam extulit. Iidem omnes glorioſiſſimi Inperatores Domui Saxonicae privilegium de non appellando, quo ab imme-

memoriali tempore gavisa est, renovarunt et corroborarunt. Patri, *Christiano I*, quem, ingentis atque excelsi animi Principem, ad eandem laudem pertingere, fatum praeproperum non permisit, succedens *Christianus II*, ad *Rudolphum II*, Imperatorem, et *Matthiam*, Archiducem, fratres, bellum parantes, conciliandos operam contulit: ab Imperatore Feudum Ducatuum Iuliae, Cliviae et Montium, accepit, quod *Alberto* Animoso iam dudum promissum fuerat: Bohemis, Silesiis, Moravis, Lusatis, Literas Maiestatis, quibus exercitium religionis Evangelicae liberum concedebatur, per intercessionem suam impetravit. Symbolum hoc suum in cubiculo aliisve locis adscribi iussit: *Timeo Deum, amo iustitiam, honoro Caesarem meum.* Vita excedens, fratri, *Ioanni Georgio I*, Electoratum reliquit. Huic pietatem in Imperatorem naturalem ipsi Romano-Catholici tribuerunt. Certe *Matthiam, Ferdinandum II, Ferdinandum III, Ferdinandum IV*, Reges Romanorum et Imperatores elegit. Imperator *Matthias*, Rex *Ferdinandus II*, Archidux *Maximilianus*, testaturi gratiam, amorem et amicitiam, Dresdam ad eum venerunt. Coronam, a Bohemis oblatam, noluit accipere, hortatus eos, ut ad obsequium Regis sui redirent: Ele-

cto-

ctorem Palatinum vero, ut idem faceret, monuit. Quare in bello Bohemico, cum hinc Palatinus Bohemiam, Silesiam, Moraviam, Lusatiam, illinc Bethlehem Gabor, Dux Transsylvaniae, Hungariam et Austriam maxima parte occupassent, afflictae Domui suppetias tulit, accepta nova securitate Augustanae Confessionis, Lusatiam et Silesiam Regi suo vindicavit: pro expensis in bellum Caesar Lusatiam, quae superiori tempore ad Marchiones Misniae pertinuerat, ipsi dedit. Post Caesarem subiectissime precatus, ne bona ecclesiastica, in Pace Religiosa Protestantibus concessa, permitteret vi repeti, invitissimus sumsit arma. Quam ob caussam etiam primus posuit, pace Pragae inita. Propter quam; etsi pateretur gravissima arma Suecica, constanter tamen Caesari adhaesit. Erat hic tunc *Ferdinandus III*, qui omnibus viribus conantem, ut pax universalis sequeretur, Leitmeritziam ad se invitabat. Idem laudatissimus Imperator A. 1647 ad Regem Hispaniae scripsit: Iam ab omnibus, praeterquam a dilecto nostro, veteri et perfideli Saxone, deserti sumus, qui unicus pro nostris commodis permagna fide et constantia laborat. Pace reducta, iterum ad Caesarem invitatus, Pragam se contulit. In Electione *Ferdinandi IV* in

in Regem Romanorum, inter grraviſſimas deliberationes ſuaviſſime *Ferdinandum* amplexus, gemmeam torquem collo eius iniecit, et, venerationis oſculo fronti affixo, Romani Imperii caput eum ſalutavit. Debemus hoc narranti et laudanti NICOLAO AVANCINO, e Societate Ieſu, in Panegyrico, in funus luctuoſiſſimum *Ferdinandi IV* dicto. In ultimis voluntatis ſuae tabulis adhortantem accepimus Sereniſſ. Succeſſorem, et ceteros Principes filios, ut Imperatoriam Maieſtatem ſubiectiſſimo obſequio venerarentur, et univerſam familiam Auſtriacam reverenter haberent, amicitiamque cum ea conſtanter cuſtodirent et ſetvarent, cui magna beneficia Domus ſua debeat. Cuius paterni moniti obſervantiſſimus *Ioannes Georgius II*, exſtincto *Ferdinando III*, Francofurti electioni Regis Romanorum ipſe interfuit, et inter invidorum molitiones, inter armorum terrores, poſt accepta nuper regna Hungariae et Bohemiae, *Leopoldo*, cum reliquis Electoribus Principibus ſuffragantibus, coronam Regni Germanici decrevit et contulit. In Bohemia A. 1673 cum Principe ſuo haereditario Imperatorem convenit, multa amoris atque honoris ſignificatione habitus. Anno ſequente validas cohortes militares auxilio adverſus Gallos miſit ad Rhenum,

quas

quas Princeps Electoralis haereditarius duxit. Legati Gallici et Suecici, quod illum avertere susciperent, responsum tulerunt, neminem fore, qui se a fide in Caesarem, et Romanum Imperium, quoad viveret, dimovere valeat. Vbi patri filius, *Ioannes Georgius III*, successit, exercitum suum cum Regis Poloniae exercitu et Caesareanis coniungens, Vienna obsidione ad extremum pene redacta, primus Turcas aggressus depulit. In expeditionibus contra Gallos quantos labores, quanta pericula, subiit! Nec arma exuisset ante pacem, nisi e castris Tubingam delatus aeger, deplorando patriae fato, vitam posuisset. Imitaturus patrem effecturusque erat Serenissimus *Ioannes Georgius IV*, terris tantum ostensus. Serenissimo et Potentissimo FRIDERICO AVGVSTO, qui nunc Electoratum gubernat, Domino nostro clementissimo, *Leopoldus* Magnus, Caesar, dum in aula sua commoraretur, virtutes, Principem iuventutis singularissime ornantes, conspicatus, gratiam et amorem suum clementissime declaravit. Eius memor, *Iosepho* Archi-Duce Austriae, et Rege Hungariae, quem ex paternarum virtutum aspectu et imitatione didicisse et tenere noverat populos regere, non alium meliorem habuit, cui salus Germaniae et maiestas Imperii crederetur.

tur. Hoc proh dolor! vivis erepto in vegetae aetatis flore, Sereniſſ. *Carolus*, Rex Hiſpaniae, ſupererat, Gentis Auſtriacae nativitate, Imperii Romani divina deſtinatione, et Collegii Electoralis conſenſu, unicum columen. Qualem *Carolum V* electum ſapientiſſimus MERCVRINVS GATTINARA veluti vaticinabatur, dicens PONTANO, Electoris Saxoniae Cancellario, bene feciſſe Principes Germaniae, quod *Carolum* Imperatorem elegiſſent: experturos enim eſſe, quod ſit ſapiens et bonus; talem iam *Carolus VI* ſe exhibet, ut Germanorum Imperium, regna et ampliſſimae provinciae, habeant, venerentur, colant, ament in fratre fratrem, in filio patrem. Adhaec ſilentio praeterire non debemus connubia, quibus utraque Domus Sereniſſima aliquando coniuncta fuit. Omiſſis antiquioribus, Albertus II, Elector Saxoniae, Agnetem, Rudolphi Habspurgici filiam, Fridericus Placidus, Elector, Margaretham, Erneſti, Archiducis Auſtriae, filiam, Friderici IV, Imperatoris, ſororem, VVilhelmus, Dux Saxoniae, Annam, Alberti III, Imperatoris, filiam, coniuges habuerunt; Catharina, Alberti filia, Sigismundo, Archi-duci Auſtriae, nupſit. Nunc, iterato affinitatis inſolubili vinculo, utramque Domum Sereniſſimam duo uniones, unus Saxo-

niae,

niae, Serenissimus Princeps regius, FRIDERICVS AVGVSTVS, Electoratus haeres, alter Austriae, Serenissima Archiducissa, MARIA IOSEPHA, gloriosissimae memoriae Caesare, IOSEPHO, nata, coniungunt, coniuges faustissimis ominibus, post remotos longe a finibus Germaniae a Caesare victoriosissimo Turcas, inter nuncios victoriarum e Sicilia, ad subiectionem Regi suo se submittente. etc.

DISSERTATIO XIII.
DE
DVBIA GVSTAVI ADOLPHI, SVECORVM REGIS, CAEDE.

CVm incerta admodum ac dubia hactenus fuerint, quae de caede Herois incomparabilis, Gustavi Adolphi, Sueciae Regis, circumferuntur, atque inde, ut fit in rebus obscuris, arcani quidpiam rimari coeperint Scriptores aliqui, operae pretium nos facturos existimamus, si nonnullas Historicorum sententias hoc loco exponamus. Primum audiamus Io. BAPTISTAM BVRGVM, qui, cum ipse pro Caesare militans praelio ad Lut-

Lutzenam interfuerit, nihil eorum omisit, quae certo comperta habuit. Ita autem ille: (a) *Cum observandi gratia propius nostros accessit Gustavus, gravioris sclopi glande sinistro brachio comminuto, delapsus in deliquium, ab aulicis flexō ad suorum dextrum latus itinere, per manipulos transiens, ne milites terreret, ad curandum deducebatur; cum in quandam nostrorum equitum legionem, redeuntem ad praelium, incidens, dilapsis aulicis, trucidatus ab ignaris, quem occiderent, militibus, atque spoliatus est. Ferunt, cum imminens vidisset periculum, neque salutis spem esse, orasse Franciscum Albertum Lauenburgicum, e Saxoniae Ducum familia, qui solus sustinendo Regi remanserat, ut, postquam perierat, ipse sibi consuleret, vulgataque sunt ipsius ad Lauenburgicum verba, Gallico idiomate prolata, quae latine sonant: Perii, tibi consulas, Frater: noluisse tamen illum deserere Regem, atque aciem suam versus asportare nisum, donec ab assultantibus quatuor Caesareis, qui ante legionem ad se cucurrerant, interceptus, dum brevioris sclopi ictum vitat, Regem, quem amplexu sustentabat, dimittit, atque, ambusta sulphureo pulvere facie, elabitur.* Addit ultimo

H mo

(a) *de bello Suec. L. III p. 262 seq. ed. Leod. in 4.*

mo (b) Autor, pluribus aliis interiectis: *Ceterum, occisi Regis gloria ad quem spectet, incompertum est; hostes quidem Holcae, aut Ghettii, legionibus tribuunt, et Holcae tubicen eius calcar ostendit; at Piccolomineus thoracem habet ex alcis corio, qui is esse fertur, quem Rex ea die gestaverat, et Piccolominei commilito, Buccella, dum in campum excurreret, occisum Regem cognovisse dicitur, cuius alias fuerat captivus, ac Piccolomineo ostendisse, qui fidem asserenti non adhibuit; neque de Regis vestibus aliud exstat, et Cyanos, quam aurea catenula appensam collo gestabat, singularis magnitudinis gemma, atque antiquum Sueciae Regum decus, nusquam inventa est, quamvis Rex omnino spoliatus in campo deinceps repertus sit.* Conferamus cum his, quae habet non inelegans belli illius scriptor, ADOLPHVS BRACHELIVS. (c) *Inter equites*, ait, *primus Rex fossam equo transiliens, dum suos exemplo et voce hortatur, brachium sclopeti ictu traiicitur, quo vulnere, emanante largiter sanguine, ita mox affectus est, ut linqui animo inciperet, rogaretque, e proelio in locum aliquem securiorem ad curam educi. Aderat illi Franciscus Albertus, Dux Saxoniae, non ita*

(b) *l. c. p.* 268.
(c) in *Histor. nostri temp. p.* 233.

ita pridem, relicto Caesare, Regi, ad Norimbergam haerenti, iunctus. Hic ergo dum in eo est, et per furientium armatorum manipulos Regem, iam vix sese equo et annixu suo sustinentem, eripere discrimini laborat, simul nebula fumoque et pulvere visum adimente, simul confusione et discursu legionum territus, longiuscule a suis aberrans, in cohortem Caesareorum imprudens incidit. Ibi Rex ab ignaris, quem peterent, binis adhuc ictibus, uno caput, altero pectus, traiicitur, ac, diffugientibus, qui circa eum erant, vitae iam exsors in campo destituitur. Alii cum IO. PETRO LOTICHIO, (d) *Regem,* tradunt, *paulo ante coeptum praelium cum duobus stabulariis, ad quingentos fere passus ab acie sua progressum, ut locum statuendis tormentis legeret, ingruente mox nebula, dum incautius progrederetur, in turbam Croatarum incidisse, et, cum se dedere nollet, ab ignaris multis vulneribus interfectum spoliatumque.* His addere non gravabimur, quae P. LANSBERGIUS (e) recenset: *Spectandi hostium aciem pro more cupidus Rex, suetusque ab adverso agmine vincendi occasiones venari, inquietus, periculique contemtor, duobus non amplius equitibus co-*

(d) *Rer. Germ. Lib. LIII Cap. 6 pag.* 1119 *seq.*
(e) in *Gustavi M. Bell. German. pag.* 491.

comitatus, in hostilem aciem fere ad bombardae iactum processit; et, quanquam bruma superveniente prospectu impediretur, non intermisso itinere, nescius, tam propinquum esse, in primum hostium agmen subitus incidit; inter tenebras visum praesentemque conferti statim circumstitere, percontati, quis esset? ac se dedere iubentes; unde periculi gnarus, ad vim conversus, utraque bombarda in hostem fulminabat, manum gladio etiam admovens, quo se tueretur; sed multorum simul iaculis petitus, statim concidit; stapedique implicitus, profugo ab tumultu equo, ad multos passus trahebatur, donec liberato pede exanimis iacuit. etc. Ex his, quibuscum, paucis immutatis, aliae Historicorum narrationes consentiunt, id saltem liquet, Regem per tumultum, ac paucis admodum praesentibus, occisum fuisse, ut mirum non sit, plures repertos fuisse, qui caesi Regis gloriam sibi vindicarent. De Mauritio Falckenbergio, equestris legionis Goezianae in exercitu Caesareo legato, refert FERDINANDVS FVRSTENBERGIVS, Episcopus Paderbornensis, quod *captus a Suecis, et paucis diebus ante dimissus, quam ad Lutzam fuit dimicatum, eidem praelio interfuerit, Regemque Sueciae, quem paulo ante captivus, et propter merita Theodori Falckenbergii* (Sue-

ciae

ciae Regis aulae Mareſchalli) *familiariter habitus, optime de facie norat, plumbea glande ſauciatum equo primus deiecerit, pariterque hoſtili telo transfixus, conciderit proxime Regem; cui, humi proſtrato, fatali ictu ſuperveniens Georgii ab Oynhauſen, Goezianae legionis equitum magiſtri, legatus Ioannes Schneberg, ex Bokendorp, Dioeceſis Paderbornenſis vico, oriundus, ilia enſe confodit, peremit, ſpoliavitque exanimem.* Non defuere tamen, qui ipſum Pappenheimium caedis huius autorem vellent, quod dum refert Autor libri lectu digniſſimi, *le Soldat Suedois*, quem FRIDERICVM SPANHEMIVM ferunt, ſimul accurate refutat. Sed en verba: (f) *Quelques uns ont eſtimé que c' avoit eté Pappenheim, qui avoit fait le coup, parce qu' il ſ' eſtoit vanté ſouvent, qu' une prediction ancienne ſe trouvoit és archives de ſa maiſon, qu'* un Roy eſtranger mourroit de la main d' un Pappenheim balafré, et monté ſur un cheval blanc; *et pour ce ſuiet ayant le viſage couſu auſſi bien que divers endroits de ſon corps, il en avoit fait reflexion ſur ſoy, et cru que cela devoit étre accompli par ſes mains. Mais outre que cela ſent les Romans, ce rapport eſt contredit par l' abſence de Pappenheim et le*

 temps

(f) *Tom. I p.* 688 *ed. A.* 1634.

temps de la blessure du Roy, qui fuit dès l' entrée de la meslée, et avant que Pappenheim peust étre de la partie. Quod vero Cl. STRVVIVS, (g) ad BVRGVM provocans, Piccolomineum, thoracem Regis monstrantem, caedis illius gloriam sibi arrogare voluisse, tradit, vix satis persuaserit iis, qui locum BVRGI, supra allegatum, accurate inspiciunt. Sed hactenus de iis diximus, qui ab hostibus caesum Regem existimant; sunt alii, qui se non quod pueri in faba reperisse credunt, si summae dignitatis Viros in exercitu Suecico in suspicionem caesi Regis adduxerint. Non est hic tacendus Autor *vitae Mareschalli de Gassion*, (h) qui et Richelio et P. Iosepho certo persuasum fuisse testatur, insidias structas fuisse Regi, simulque narrat, Germanum quendam Hontasio, Gallo, qui in exercitu Suecico militabat, et Regis lateri adhaerere in conflictibus consueverat, paucis ante pugnam diebus equum admodum generosum, sed vulpinis auribus notabilem, vendidisse, vixque orto praelio equo globo traiecto excussum sessorem, quae non frustra ita evenisse Autor existimat. Quod vero de Principe quodam Germano, qui Regem, nihil ab amico timentem, oppresserit, mussitatum

(g) in *Synt. Hist. Germ. l.* 35 §. 58 *in Not.*
(h) in *Hist. du Mar. de Gassion T. I p.* 110 *seq.*

tum olim fuerit, primus, quod ſciam, revelavit Scriptor Italus, MAIOLINVS BISACCIONVS, Comes, (i) qui ſigillatim ſub initium *Libri IV Commentar. Hiſt.* de caedis Guſtavi Adolphi origine diſſeruit. Scribit is, quendam inclytae Germanorum ſtirpis et Evangelici cultus principem, cuius nomen quidem diſſimulandum prudenter cenſet, Rege adhuc iuvene, in Sueciam acceſſiſſe, ac mox viduam quandam nobilem ac forma elegantem, quam ipſe Rex deperierat, ita ſibi devinxiſſe, ut nec ipſa, cum Rege ac Principe chartis ludens, amorem diſſimulare poſſet. Imo rem eo deveniſſe, ut Rex alapam infligeret Principi, atque hic, Holmia relicta, Regem ad duellum provocaret, ſed fruſtra. Hinc illum poſt multos quidem annos, velut oblitum iniuriarum, Regique reconciliatum, occaſionem vindictae ſolerter aucupatum, tandem eam reperiſſe ad Lutzenam, Regeque caeſo, ſaepe amicis veſtem ſanguine regio conſperſam monſtraſſe, additis verbis: *num quid hoc ſanguine deletam alapae iniuriam creditis?* Hinc PIASECIO nonnihil ea de re innotuiſſe videtur, cuius haec ſunt verba: (k) *Ipſe Rex Suecus duobus lethalibus vulneribus, (in-*

(i) *Memorie Hiſt. Part II p.* 1 *ſq.*
(k) in *Chron. p.* 436.

certum a quo, seu a tali, qui ibidem simul perierat, aut a familiari suo, cui de hoc gloriari non licuit,) pugnando acceptis, occubuit. Franciscus Albertus, Dux Saxoniae Laoburgicus, qui paulo ante a Caesarianis partibus ad eum defecerat, individuus ipsius comes, in isto praelio illaesus mansit, idemque primus Valnstenio (isti fuit familiaris, et postquam transisset ad Suecum, et post illam pugnam,) de caede eius nuntiarat; et inter cadavera caesorum non agnitum, cum lixae spoliassent, ac diversi diversa ex eius armis ac vestibus circumferrent, hora antemeridiana increbuerat rumor de morte eius. Sed longe apertius rem edisserit PVFENDORFIVS, (l) cuius hic verba paulo prolixiora repetere non gravabimur: *Pertinax eo tempore rumor erat, Regi post vulneratum brachium a Francisco Alberto, Lauenburgico Duce, lethalem ictum illatum; suspicione inde orta, quod nuper, missione a Caesare obtenta, ad Saxoniae Electorem ab isto ablegatus fuerit, ut hunc regiis partibus abstraheret; quodque statim post praelium ad Lutzenam, relictis Suecis, operam suam Saxoniae Electori addiceret. Sane, cum ad Regem in castra Noribergica tanquam voluntarius miles accederet, Oxenstirna dubitare se profitebatur, quantum*

(l) *Rer. Suec. Lib. IV p. 83.*

tum ipſi foret fidendum. Ferunt etiam, interrogatum, quare ipſe, qui proxime circa Regem verſatus erat, illaeſus manſiſſet, reſpondiſſe, id debere ſe viridi taeniae, qua corpus cinxerat, quaſi eo ſigno a Caeſareanis eſſet agnoſcendus. Et ipſe poſt veſtem, regio ſanguine adſperſam, oſtentaverat. Atque iſthaec mihi omnia expendenti vero quam ſimillima videntur. Sane, quin Caeſarei crediderint, Suecorum res ſola Guſtavi virtute ſtare, eoque ſublato, iſtas quoque ultro ruituras, dubitare non licet: nec minus, ipſos omnes vias circumſpexiſſe, eundem e medio removendi. Eiusmodi porro facinori patrando quis idoneus magis reperiri poterat, quam Franciſcus Albertus, cui Principis Germaniae dignatio, et ſacra, quae profitebatur, hactenus ſaltem fidem apud Regem magnanimum et in ſuſpiciones non pronum adſtruebant, ne facile ſicarii perſonam ſuſcepiſſe crederetur; eoque inobſervato ſceleri patrando occaſionem per otium licebat captare, cum familiarem ad Regem acceſſum nobilitas et militaris vitae profeſſio conciliaret. Ipſe porro pauper, ſtipendiis Caeſaris innutritus, queis nulla idonea cauſa deſertis, ad hoſtem Regem acceſſerat, eiusque lateri diligentius, quam pro vulgari officio, adhaeſerat; ac, peracto flagitio, confeſtim a Suecis digreſſus fuerat,

 rat,

rat, quorum et partes capitali odio ſemper proſecutus, iisque impugnandis demum immortuus eſt. Fridlando inſuper et plerisque Caeſareis ducibus intima familiaritate innexus. Principe autem loco natum eſſe, et ſacra Reformata profiteri, uti per ſe aliquem a ſcelere immunem non praeſtat; ita ſubdolus animus, eo ſchemate minus ſuſpectus, tanto fidentius ad faciendam caedem adrepere poterat. Haec quamvis ſpecioſe ſatis proponantur, nondum tamen ita comparata ſunt, ut fidem mereantur, nec auſus forte fuiſſet PVFENDORFIVS hanc tanto Principi maculam adſpergere, niſi illi res Saxonicas quavis occaſione ſugillare, nec ipſis ſummis Saxoniae Principibus parcere, ſolenne foret. Nam, quod a Suecis poſt caeſum Regem diſceſſit Lauenburgicus, quod princeps argumentum eſt, cauſas alias habere potuit, ſive quod Suecorum ducibus parere detrectaret, ſive quod res eorum, caeſo Rege, minus proſpere ceſſuras ſperaret, ſive quod apud Suecos, de caede Regis ſiniſtra omnia ſuſpicantes, minus ſe tutum crederet. Et quis Principem, de cuius vita probroſa nihil alioquin conſtat, eo putet adduci potuiſſe, ut puriorem doctrinam, ob quam Caeſareas partes, ſi quid coniicere licet, deſeruerat, quam, armis ſuis ſtrenue defenſam,

ſam, ad extremum usque vitae finem profeſſus fuit, cum tanti Regis, qui eam tuendam ſuſceperat, caede peſſum daret. Neque odium eum in Regem, nec amor erga Caeſarem, aut ſpes lautioris praemii, incitare potuit. Nam, quod odii in Regem cauſam iuſtam habuerit, PVFENDORFIVS aſſerere non audet; quo minus vero ad Lauenburgicum transferas, quae MAIOLINVS de Principe quodam Germano vel narrat vel fabulatur, multa quidem prohibent, inprimis quod et nusquam conſtet, eum in Sueciam fuiſſe delatum, et, ſi fuerit, tenues quidem eius facultates obſtitiſſe videantur, quo minus regiis luſibus ſe immiſceret. Praeterea, ſi tanta eius fuiſſet in Caeſarem proclivitas, cur non Caeſari potius, quam Saxoniae Electori, operam ſuam addixit? Cur nullum tam infandi facinoris praemium retulit? Cur non ſtatim poſt patratum ſcelus, vel ultro, vel ſub captivi ſaltem ſpecie, ad Caeſareos tranſiit? Num ſperare potuit, ſe, criminis convictum, (neque enim latere poterant, quae in utriusque exercitus conſpectu geſta ſunt,) tutum apud Saxoniae Electorem receptum inventurum, cuius tantopere, Regem ſuperſtitem eſſe, intererat? Et, cum duo ad minimum acceperit lethalia vulnera, (plura accepiſſe, ſunt, qui teſtantur,) ecquis

ecquis credat, tantum Principi temporis ſuperfuiſſe, ut et ſecundum ictum et tertium inferre tuto poſſet? Cetera, quae de viridi taenia, de veſte regio ſanguine adſperſa, aliisque, afferuntur, incertis rumoribus hauſta fuiſſe, nemo dubitaverit. Poſſent haec latius deduci, ac plurium Scriptorum, CHEMNIZII, GVALDI, NANI, SIRI, PRADII, VASSORII, ZEILLERI, LVDOLPHI, aliorumque, teſtimoniis confirmari; ſed accedendum ad rem eſt. etc.

DISSERTATIO XIV.
DE

HIS, QVI MERCEDE CONDVCTI, AD COMPONENDOS COMMENTARIOS HISTORICOS ANIMVM APPVLERVNT.

Oppido ridiculi mihi viſi ſunt ſemper, qui paupertatem tanquam cotem ingenii extollunt nimium, omnesque artes ac ſcientias ex inopia pullulaſſe, abſurde iactitant. At ita Poetae inprimis ludunt, AVLVS PERSIVS, (a) cui *venter*, ſeu fames, *magiſter artis inge-*

(a) in *Prolog. Sat.*

ingeniique largitor praedicatur, PLAVTVS, qui, *Paupertas*, ait, (b) *omnes artes perdocet, ubi quemque attigit*, et his altius ſapiens THEOCRITVS, (c) qui *ſoli* paupertati artium incrementa deberi cenſet:

ἡ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει.

Eadem mens et Gaditanis olim fuiſſe videtur, (d) quos eandem aram et Paupertati et Artibus conſecraſſe accepimus. Verum enim vero nihil aeque bonis literis inimicum et adverſum, ac egeſtatem, nec quemquam plus damni exiſtimo afferre Reipublicae literariae, quam qui ventri ſtudet. Nam, cum plerique alii in vita humana lucrum ſpectent et divitias, nec ullis parcant laboribus, dummodo illis potiantur, una eruditos nominis fama erigit ac ſolicitat, una ſupra reliquos mortales longiſſime extollit. Quo magis dolendum, mercenarias fere nunc factas eſſe Muſas, noſtrosque homines non tam famae hoc tempore, quam fami, ſcribere, quo fit, ut plures quotidie libri protrudantur in lucem, quam fungi naſcuntur una nocte. Sed,

(b) in *Sticho*.
(c) in *Idyll.* 21 *v.* 1.
(d) PHILOSTRATVS *Lib.* 5 *Cap.* 1 *Vit. Apoll.*

Sed, ut alios patiar e Philoſophia, eloquentia, poeſi, et linguarum cognitione, turpiter quaeſtum facere, in Hiſtoricis certe, quorum tanta hoc et ſuperiori Seculo ubertas fuit, ut, ſi e librorum numero iudicium ferri debeat, ſola fere Hiſtoria triumphaſſe hactenus videatur, id tanto ferendum minus, quanto plus intereſt Reipublicae, rerum geſtarum memoriam apte ac ſincere ad poſteros propagari. Quam ob rem veteres quoque publicorum Annalium curam Viris in ſummo dignitatis faſtigio conſtitutis demandaſſe legimus, (e) id quod exemplis patet Moſis, ab ipſo Deo ad Hiſtoriam ſcribendam evocati, Ioſuae item, Prophetarum, et Sacerdotum, apud Ebraeos, Magorum ipſorumque Regum, apud Perſas, Pontificum Maximorum, apud Romanos, Evangeliſtarum ac poſtea Protonotariorum, apud Chriſtianos. Et obſervatu dignum videtur, neminem fere e veteris aevi Hiſtoricis ad nos perveniſſe, qui non in lauta ſorte vixerit. (f) Nam et THVCYDIDES, exercitus in Thracia dux, opibus affluebat, quarum partem haud modicam iis rebus compa-ran-

(e) *Conf.* MASCARDI *dell' Arte Hiſtorica Cap. II.*

(f) *Conf.* I. A. FABRICIVS in *Bibl. Graeca et Lat. ſ. l.*

randis absumsit, quibus opus erat ad scribendam Historiam; et POLYBIVS, Achaicae Reipublicae, ac DIO CASSIVS, Pannoniae summo cum imperio praefectus fuit; C. SALLVSTIVS et VELLEIVS ad Praeturam evecti; CORNELIVS TACITVS, Consulatum et summos honores alios adeptus; T. LIVIVS in aula Claudii Imperatoris, cuius studia moderabatur, florebat; et ipse C. IVLIVS CAESAR Dictator erat et Romanae Reipublicae Princeps. At nescio, quomodo, post inventam inprimis artem typographicam, studia quoque, quae liberalia esse decebat aeque ac operas viles alias, coeperint esse in commercio, ut dubites fere, utrum illa plus emolumenti, an damni, attulerit bonis literis. Nam, quod Itali de Pontifice Romano dicere consueverunt: *al Papa non mancano mai denari, quando non manca la mano et la penna*, idem fere nunc de Historicis dixeris, quibus, dummodo manu sint et penna instructi, nunquam fuerit esuriendum. Enimvero, cum non parum expediat, eos habere cognitos, qui mercede conducti ad componendos Commentarios historicos animum appulerunt, ex ingenti eorum numero paucos nunc in medium producemus. Primum suo merito inter Gallos nominamus FRANCISCVM BEL-

LEFORESTVM, (g) qui, ut varii generis ſcriptis aliis, quae, prout titulos ſuppeditaverant librarii, tanta feſtinatione in lucem protruſit, ut non tam ſcribere, quam fundere libros ad formas inſtar plumbi, crederetur; ita hiſtoricis quoque, Hiſtoria ſcilicet Galliae generali, Hiſtoria novem Carolorum, aliisque, victum quaerebat. Succedat VERDERIVS, Hiſtoriographi Franciae elogio mactatus, (h) cuius Hiſtoriis Galliae, Angliae, Hiſpaniae, Turcarum, aliisque, quantum fidei tribuendum ſit, vel ex eo intelligitur, quod nec illae Autori ad vitam ſuſtentandum ſuffeciſſent, quippe in xenodochio Pariſienſi, in quo aliquot annos cum uxore miſere vixerat, exſtincto. Praeſtantior utroque GIRARDVS DE HAILLAN, Gallorum pariter Hiſtoriographus, qui, cum primus elegantem edidiſſet et concinnam Galliae Hiſtoriam, eximia laude dignus fuerat, niſi in dedicatoriis ad Henricum III et IV Epiſtolis de immenſo labore nondum ſatis penſato querens, animum lucri cupidum nimium nudaſſet. (i) De clariſſimo Viro,

(g) VERDIER in *Bibl. de Fr. p.* 367. Conf. BAYLE *in Lex. t. Belleforeſt.*

(h) ROCOLLES *Vie du Sultan Gemes p.* 132, 133.

(i) Conf. prolixam BAELII ea de re obſervationem *t. Haillan nota (M).*

ro, ANDREA DV CHESNE, MENAGIVS (k) obſervat, non eodem omnia eius ſcripta pretio aeſtimanda, nec eius Hiſtoriam Pontificum, nec Hiſtoriam Angliae eruditis ſatisfeciſſe, cuius rei cauſam pronuntiat, quod librariorum ſtipendiis familiam alere cogeretur. Ipſum quoque DAVIDEM BLONDELLVM, magnum Reformatorum Theologum pariter et Hiſtoricum, venalem habuiſſe calamum, ſunt, qui teſtantur, (l) quippe ab aliis, ut fabulam de Ioanna Papiſſa confutaret, et BARONIO parceret, ab aliis, ut Primatum Papae impugnaret, aere haud modico conductum. Accedunt his PETRVS DV RYER, Hiſtoriographus Galliae, (m) variis Hiſtoricorum veterum verſionibus, quam propriis ſcriptis, celebrior, et IO. BAVDOIN, qui et Hiſtoricos tranſtulit, et alia vulgavit; (n) quandoquidem typographis obnoxii, ſcripta ſua perpolire, ut par erat, atque emendare, neutiquam potuerunt. Quantus porro inter Italos literarum foenerator fuerit PAVLVS

(k) *Menagiana T. II p.* 240, it. *Melang. de* VIGNEVL-MARVILLE *T. I p.* 195.

(l) MARESIVS et ANCILLON *apud* BAELIVM *t. Blondel.*

(m) Anonymus in *Syllabo Autorum, Lexico Richeleti praemiſſo.*

(n) VIGN. MARVILLE *Mel. T. I p.* 194 et 196, it. BAILLETVS in *Iug. T. I p.* 446.

LVS IOVIVS, Hiſtoricorum omnium turpiſſimus, publice conſtat. (o) Duobus enim calamis uſus ille fertur, aureo altero, altero ferreo, quorum illo quidem Principum, a quibus beneficiis affectus ac muneribus donatus fuerat, facta pulchre exornabat, et ad coelum laudibus extollebat, hoc vero depexos dabat, quorum liberalitatem expugnare nulla arte poterat. Ea certe fuit impudentia, ut, teſte Ios. SCALIGERO, (p) *in aula Henrici II R. G. obſcuriſſimo cuique claritatem generis mercede polliceretur, maledicentia ulturus, qui eius nundinationi adverſaretur. Quod quidem expertus eſt Annas Mommorantius, Comes Stabuli Franciae, traductus a venali Hiſtorico, non aliam ob rem, quam quod neſcio quid impudenter petens, repulſam tuliſſet.* Sed illo haud paulo moderatior VICTOR SIRI fuiſſe videtur, (q) monachus Italus, cuius Opera, quae *Mercurium* et *Memorias* inſcripſit, cum raro admodum integra proſtent, immenſo nunc pretio veniunt. Nam et ipſum plus offerentibus calamum vendidiſſe traditur, unde dicere conſuevere Itali, Hiſtoriam eius eſſe *non da Iſtorico*

(o) TEISSIER in *Elog. de Thou T. I p. 67.*
(p) *Epiſt. de vetuſt. gentis Scalig. p.3.*
(q) VIGNEVL-MARVILLE *Melang. T. I p.* 82, 83.

rio ma da ſalario. Et, quamvis Mazarini Cardinalis beneficio Hiſtoriographi Regii dignitatem aliaque ab aula Gallica obtineret, nullo tamen id factum ferunt SIRI merito, ſed quod timeret Cardinalis, ne, quae ſibi eſſent praeiudicio, impudenter effutiret. Taceo FRANCISCVM PHILELPHVM, (r) qui, cum a Ludovico Gonzaga, Mantuae Marchione, aureos quinquaginta ad dotem filiae conſtituendam emendicaret, promiſit, ſe in Sfortiade, quod moliebatur opus, conflatum aes omne Principi ita exſoluturum, ut pro debitore fiat creditor: taceo LVDOVICVM DOLCE, (ſ) Vitae Caroli V pluriumque Operum Autorem, atque Italos alios, qui, ſimul ac doloſi ſpes refulſiſſet nummi, nunc panegyricos, vel ſatyras, aut fabulas Mileſias, pro iuſta hiſtoria nobis obtrudere, nunc miſera ſua commenta celeberrimis ſcriptoribus ſupponere, nunc in aliorum ſcripta velut in ſuam meſſem involantes, addere, demere, mutare impune conſueverunt. Neque apud Anglos, acerrimos illos librorum cenſores, mercenariorum Hiſtoricorum exempla deſideraveris, e quibus nunc FVLLERVM tantum et RICHARDVM BAKERVM producemus, quorum il-

(r) *Epiſt. L. XI Ep.* 30.
(ſ) BAILLET in *Iug. T. I p.* 446.

le (t) vaſtum Opus, quod *VVorthies of England und VVales* inſcripſit, per ſummam feſtinationem conſcripſiſſe faſſus eſt, ut aliquid inde lucraretur, hic (u) *Chronicon Angliae*, quod methodicam potius locorum communium collectionem, quam iuſtam Hiſtoriam, dixeris, aliaque eo maxime compilavit, ut ſe ab aere alieno, quo demum gravatus nimium in carcere obiit, liberaret. Quibus neſcio an addi mereatur DEGOREVS VVHEAR, (x) primus, nec indignus, Hiſtoriarum in Academia Oxonienſi Profeſſor Camdenianus, qui tam exiguas facultates reliquiſſe fertur liberis ſuis, ut filiae corpore, quemadmodum ille ingenio, quaeſtum facere cogerentur. Ceterum, quanta magni illius Angliae Cancellarii, FRANCISCI DE VERVLAMIO, de re domeſtica cura ac ſolicitudo fuerit, ex Epiſtola eius ad Regem patet, qua de paupertate ſua ſerio conqueritur, vereturque, ne, qui hactenus vixiſſet, ut literas coleret, in poſterum literas colere neceſſum habeat, ut eſſet, unde viveret. (y) Denique, quod ad Germanos noſtros atti-

(t) NICOLSON *Engl. Hiſt. Library* p. 6.
(u) ECHARD *Hiſt. of England T. II* p. 513, et VVOOD *Hiſt. Vniv. Oxon. Lib. II* p. 348.
(x) VVOOD in *Athen. Ox. T. I* p. 56.
(y) *Patiniana* p. 21.

attinet, vix tot inter eos numeraveris polygraphos, nisi edendis libris spiritum ducere necesse habuissent. Ipse MELCHIOR GOLDASTVS, *Vir editis antiquis Germaniae monumentis*, CONRINGII (z) sententia, *tam bene de patria meritus, ut absque dubio Athenienses illum in Prytanaeo aluissent, si quidem illud in aevum incidisset*, maiori haud dubie cura in vulgandis, quae undique corrogaverat, documentis versatus fuisset, si sors illi lautior beatiorque obtigisset, quippe exempla librorum Magistratibus civitatum et Consistoriis distribui ab amicis curabat, ut aliquid inde praemioli reportaret. (aa) Vir magnus inter Germanos fuit CONRADVS GESNERVS, (bb) Polyhistor sui temporis clarissimus; at maior haud dubie futurus erat, nisi illi continuo Deabus, ut ipse loquitur, inexorabilibus, Paupertati et Necessitati, obtemperandum fuisset; quo factum, ut limam, prout deceret, adhibere nequaquam posset. Idem plane dixeris de GVILIELMO XYLANDRO, principe Historicorum Graecorum interprete, cuius aerumnis et ino-

(z) in *Praef. Tac. de Mor. Germ.*
(aa) GOLDASTVS in *Epist.* 131.
(bb) TEISSIER in *Elog. de Thou* T. II p. 198.

piae tribuendos eſſe naevos nonnullos, LEVNCLAVIVS (cc) arbitratur, qui, non ſemel eum dixiſſe, refert, *lucubrationem Dioniam et alias, non a fama, ſed fame, ſibi extortas et praecipitatas fuiſſe.* Sed volumen nobis ſcribendum eſſet, ſi mercenarios omnes ſcriptores Hiſtoricos vel leviter percenſere animus eſſet. Quotus enim quisque hodie tam lauta fortuna ad ſcribendam Hiſtoriam accedit, ut, THVCYDIDIS vel GVICCIARDINI (dd) exemplo, pecuniam, ut veritatem diſcat, in hoſtes factioſos profundere vel poſſit vel velit? Accedamus ad rem. etc.

DISSERTATIO XV.

SISTENS ELENCHVM SCRIPTORVM SAXONICORVM.

CVm Viri doctiſſimi, LANGLETI DV FRESNOY, Catalogum praecipuorum Hiſtoricorum, eiusdem Methodo Hiſtoriarum

(cc) *Praef. in Dion Caſſ.* Conf. MORERY, TEISSIERIVM, et alios.

(dd) TILEMANNVS *de Hiſtoricorum delectu p.* 180.

rum ſubiunctum, cum Supplementis ac Notis quibusdam Gallice A. 1714, iterumque cum novis Additionibus Germanice A. 1718, recuderem, in claſſe XLVII, Scriptores Miſniae, Thuringiae et Variſciae complexa, obiter Scriptorum, in Bibliotheca mea exſtantium, adhuc quidem ineditorum, mentionem feci, nec male bonis literis conſulturum cenſui, qui eos in unum corpus compingere, ſimulque ſparſim edita, ſed vel raro obvia, vel ſumto nimio comparanda, addere cupiat. Id cum ita caperent nonnulli, quaſi ipſe de edendis Scriptoribus illis conſilium cepiſſem, eoque continuo aurem mihi vellicarent, meque promiſſi mei admonerent, coepi nuper magis ſerio ea de re cogitare, operae pretium me facturum ratus, ſi elenchum quendam Scriptorum, tum editorum, tum ineditorum, quos ipſe poſſideam, et Collectioni huic inſerendos cenſeam, praemitterem, ſimulque alios ad ferendam opem ſolicitarem. (†) Quae itaque ad conſarcinandum

 Cor-

(†) Prodiiſſe poſtea Lipſiae A. 1728 et 1730 tribus Tomis in fol. hanc Scriptorum Saxonicorum Collectionem, ſed plura longe, quam hic complectitur catalogus, continentem, multorum etiam, quae hic legis, utpote non magni adeo pretii, expertem, iam quidem ignorare puto neminem. Interim, cum iucundum ſit, Scriptores

Corpus Scriptorum historicorum Misniae, Thuringiae, et Varisciae, parata habeo, sunt: I. ERASMVS STELLA, (alias *Stüler*) Hyppocenius Libanothanus, artium liberalium et Medicinae Doctor, Consul et Physicus Cygneae, *de origine, vetustate, appellatione et regionibus Tubantinorum, Cygneorum, Libanothanorum, (vulgo civitatis Lipzk) et Misnensium*, ut et eiusdem *Molbii fluminis Descriptio metrica;* quos libellos, a PETRO ALBINO frustra cum animadversionibus promissos, in MSto pervetusto servamus. II. REINERI REINECCII liber admodum eruditus *de Misnensium origine et rebus gestis*, Lipsiae A. 1576, 4, Germanice, iterumque Hanoviae A. 1612 Latino idiomate editus. III. GEORGII SPALATINI, Norici, Historiographi Saxonici primi, *Chronica et origines Electorum et Ducum Saxoniae*, libellus calumniis Henrici Brunsuicensis, dicti Iunioris, oppositus, ac Germanice primum VVitteb. A. 1541, 4, ac rursus cum Praefatione PHIL. MELANCHTHONIS ibid. A. 1553, 8, editus, demumque a FRIDERICO HORTLEDERO Operi maiori de causis belli Germanici L. IV Cap. 23 e prima editione insertus, ac passim eruditis HORTLEDERI notis illustratus;

patriae habere cognitos, non catalogum hunc, satis quippe confectum diligenter, duximus ab hoc libello removendum.

tus; quem in Latinum nunc ſermonem converti curabimus. IV. PETRI ALBINI, Hiſtorici, et Secretarii Electoralis, *Chronica Ducum Saxoniae*, a MATTHAEO DRESSERO ſub titulo *Saechſiſches Stammbuch* Lipſiae A. 1602, 4, vulgata et continuata, quae cum aliis in ea editione vulgatis Latina verſione non plane indigna iudicamus. V. Eiusdem *Novae Saxonum Hiſtoriae progymnaſmata*, VVitteb. A. 1585, 8, edita. VI. Eiusdem *Chronica Miſniae maiora*, ter antea atque ultimo Dresdae A. 1689 in fol. Germanice edita, quae tametſi noſtris hominibus non ſint ignota, merentur tamen, ut Latine translata exteris quoque innoteſcant; quod et Celeb. SCHVRZFLEISHII conſilium fuiſſe accepimus, cum ad ſimilem compilationem animum appuliſſet. VII. GEORGII FABRICII *Rerum Miſnicarum Libri VII*; et *VIII.* SIFFRIDI, Miſnenſis Presbyteri, *Epitomes* Libri II; quem utrumque librum ex editione Lipſiae A. 1571, 4, eleganti typo expreſſa, dabimus; SIFFRIDVM vero inſuper cum Codice Bibliothecae noſtrae Paulinae MS. conferemus. IX. VVILHELMI ERNESTI TENTZELII, Conſil. et Hiſtoriographi Regii et Elector. Sax. *Saxonia Numiſmatica*, Dresdae A. 1705, 4, Tomis IV edita, quem librum quidem Latine tantum (nam ſimul et

Germanice excuſus eſt) exprimemus, omiſſis etiam, ut ſumtibus parcatur, nummorum ectypis, quibus hiſtoriarum ſtudioſi, ad explicationem tantum reſpicientes, facile carent. X. CHRISTIANI SCHLEGELII *Diſſ. de Cella Veteri, Marchionum conditorio*, Dresdae, 1703, 4; cui addentur, quae in Bibliotheca noſtra Paulina de Cella veteri exſtant. Conf. Catal. MSS. p. 136. XI. MICHAELIS HEMPELI *Luculenta Deſcriptio Sacelli Fribergenſis, quo trium Electorum et reliquorum Principum et Ducum Saxoniae XXI monumenta continentur*, Lipſ. 1604, 4. XII. SAMVELIS REYHERI *Monumenta Landgraviorum Thuringiae et Marchionum Miſniae*, non quidem, ut habet editio Gothana A. 1692, fol. in aes inciſa, ſed typis expreſſa, et eruditiſſimis VV. E. TENTZELII notis, hactenus ineditis, quas exemplo in Bibliotheca Regia exſtanti adſcripſerat, illuſtrata: quamvis nec tabulas quoque aeneas, Gothae ſolicite hactenus ſervatas, optimi piiſſimique Principis munificentia impetrari a nobis poſſe deſperemus. XIII. CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHII Diſſertationes *de Antiqua Saxonum dignitate*, et *de Marchia Miſnenſi*, ut et eiusdem *Hypomnemata ad vet. Thuringiae Hiſt.* XIV. *Chronicon Montis Sereni*, ante annos fere quingen-

tos

tos a CONRADO Presbytero Lauterbergii, ut creditur, ſcriptum, quo plurima de rebus Miſnicis ab A. 1124 ad 1225 continentur; ut et XV. *Chronicon Monaſterii Gozecenſis*, cumprimis veterum Saxoniae Comitum Palatinorum, Thuringiaeque Landgraviorum ab A. 1041 ad 1135 geſta Complectens; quod utrumque IOACH. IO. MADERVS primus cum Genealogiis Marchionum Miſniae in lucem protraxit Helmſtadii A. 1665, 4. XVI. Scriptoris vetuſti *Hiſtoria de Landgraviis Thuringiae*, quae exſtat in Collectione rerum Germ. IO. PISTORII pag. 908 ſeq. cuius quidem libri novas collationes mecum communicari peroptarem. XVII. PAVLI LANGII, Cygnaei, Monachi Bozavvienſis, *Chronicon Citizenſe* ab A. 968 ad 1515, apud eundem PISTORIVM l. c. p. 755, cuius codicem MS. nullum expiſcari hactenus potui. XVIII. Eiusdem PAVLI LANGII, *Benedictini in Monaſterio Poſavienſi prope Cizam, Chronica Neumburgenſis Eccleſiae a tempore Ottonis M. usque ad Carolum V Imp. ſeu ab A. 967 ad A. 1536*, quae tum Germanice cum Dedicatione ad IO. VVELLENECKER, civem Cizenſem, et Philippi, Epiſcopi Friſingenſis et Numburgenſis, Palatini Rheni, et Ducis Bavariae, Conſiliarium, tum paulo fuſius Latine, in vetuſto Codice, ipſius, niſi

nisi me omnia fallunt, Autoris manu scripto, possideo, dignum profecto, quod tandem in publicam lucem prodeat. XIX. CASPARIS SAGITTARII *Historia Episcoporum Numburgensium*, Ienae, A. 1683, 4, impressa. XX. IO. GEORGII PERTSCHII *Origines Voigtlandiae et celebris in hac urbis Bonsideliae*, A. 1677, 4, editae, liber non vulgari studio elaboratus, cui et XXI. IO. ANDR. PLANERI, Prof. Vitemb. *de Variscia* Dissertatio, ante paucos annos edita, haud incommode iungetur. XXII. AVGVSTINI BRVNNII, Annaemontani, *Catalogus Electorum Saxoniae*, ex eiusdem *Triade Electorali*, Francof. 1600, 8, edita, qua non minus Saxonicorum, quam Brandenburgicorum, Electorum et Palatinorum ad Rhenum inde ab Ottonis III Imper. aetate res gestas haud proletarie tradidit, decerptus. XXIII. CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHII *Arminius*, eiusdemque XXIV. *VVittekindus*. XXV. CASPARIS SAGITTARII *Historia Ecardi II, Marchionis Misniae*, Ienae, 1680, 4. XXVI. VVILH. ERN. TENTZELII *Fridericus Fortis redivivus*, *h. e. Vita et fata Friderici Fortis*, *sive Admorsi, Landgravii Thuringiae, Marchionis Misniae etc. ex monumentis avthenticis varisque Scriptoribus collecta et illustrata*: liber ipsius Autoris manu nitide descriptus

ptus, prorſusque prelo paratus, ſed quem paulo poſt rebus humanis ereptus prelo ſubiicere non potuit: et faſſus nobis eſt TENTZELIVS, ſe plus operae in eo concinnando, quam in ſcriptis ſuis omnibus, poſuiſſe; ut adeo vel hoc Opus Collectioni noſtrae inſigni ornamento ſit futurum. XXVII. IO. GARZONIS, Bononienſis, *de rebus Saxoniae, Thuringiae, Libanotriae, Miſniae, et Luſatiae, Libri II ad Federicum, Saxoniae Ducem*, quibus inprimis de bellis inter Adolphum Imp. et Fridericum Admorſum, fratremque Ticemannum, geſtis agitur, eiusdem TENTZELII opera accurate deſcripti, additis variis lectionibus diverſarum editionum, notisque perpetuis, quibus errores Scriptoris deteguntur, praemiſſisque variorum de Autore teſtimoniis, ipſiusque TENTZELII ad haec obſervationibus. XXVIII. PHILIPPI MELANCHTHONIS *Oratio de Friderico, Landgravio Thur. et March. Miſniae, cuius fuit a matre admorſa gena*, cum Praefatione et Notis MS. VV. E. TENTZELII. XXIX. *Epitaphium Titzmanni, Landgr. Thur. March. Miſnenſis et Luſatiae, per* DANTEM ALDIGERIVM, *Florentinum Octovirum, et Hetruſcum Poetam Laureatum, conſcriptum*, una cum iis, quae, de eius exuviis, in templo noſtro Academico aſſervatis, traduntur.

XXX.

XXX. IO. GEORGII DE PONIKAV, Equ. Luſ. nunc Pot. Regi Pol. et El. Sax. a Conſiliis Appellationum, *Diſſertatio de Electoratu Saxoniae Friderico Bellicoſo iure meritoque collato*, quam A. 1709 meo ſub moderamine defendit. XXXI. GEORGII SPALATINI *Diarium rerum ab Electoribus Saxoniae, Friderico I et II, Erneſto, Friderico III, ſeu Sapiente, Ioanne, Friderico III, et Ioanne Friderico, usque ad A. 1542 geſtarum*, hactenus ineditum, variaque memoratu digna, paucis adhuc nota, complexum, quod e Germanica, qua conſcriptum eſt, lingua in Latinam transferri curabimus. XXXII. MICHAELIS BOEMI *Vita Alberti III Animoſi, Ducis Sax.* cum animadverſionibus CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHII, eiusdemque Appendice, quae inter Opera Schurzfleiſchiana exſtant. XXXIII. Eiusdem SCHVRZFLEISCHII *Fridericus III, Saxoniae Elector*, in iisdem Operibus. XXXIV. IOANNIS ROSINI *Exempla pietatis illuſtris, ſeu vitae trium Elect. Sax. Friderici III Sapientis, Ioannis Conſtantis, et Io. Friderici Magnanimi*, Ienae, 1602, 4. XXXV. CASP. SAGITTARII *Vita Io. Friderici*, Ienae, 1678, 4. Cui forte ſubiicientur *Annales rerum a Ioanne Friderico geſtarum*, quos accurate congeſtos in ſchedis reliquit

quit IO. GEORGIVS VVILCKIVS, Scholae Misenensis Rector, et *Nepotis Saxonici* Autor doctissimus; siquidem illi a S. Rev. Filio, cuius me quondam doctrina institutum gratus profiteor, impetrari poterunt. XXXVI. D. GEORGII ARNOLDI, Episcopatus Numburgensis Cancellarii, *Vita Mauritii, El. Sax.* quam e Germanica *Davidis Schirmeri*, Bibliothecarii Electoralis, versione, ut aliis haud incognitam, ipse iam pridem cum pluribus codicibus collatam auctamque possideo, Giessae quidem A. 1719, 8, minus integre editam. At, postquam compertum est, codicem, prout ab Autore exaratus est, Latine conscriptum, quem pauci hactenus viderunt, in Ill. ICti, CHR. THOMASII, Bibliotheca exstare, nulli dubitamus, Virum publicis commodis promovendis natum, haud aegre nobis eius copiam facturum. XXXVII. IO. CHRISTOPH. BARTENSTEINII, Argentinensis, *de Bello Imper. Carolo V a Mauritio, Saxon. El. illato, turbisque inde in Imperio ortis*, *Diatriba*, Arg. 1710, 4. XXXVIII. CORN. KRVLL *Vindiciae Mauritianae, de iustitia belli Saxonici Mauritiani*, Lips. 1631, 4. XXXIX. OSVVALDI HILLIGERI, ICti, *Vindiciae Mauritianae, commentis Bodini oppositae*, Ienae, 1617, 4. XL. FRID. GOTTH. GOTTERI

Hi-

Hiſtoria Saxoniae tempore Auguſti, Electoris, Ienae, 1708, 4. XLI. IO. FRIDERICH, Prof. Hiſt. Lipſ. *Rerum memorabilium Chriſtiani II Index Chronol.* 1611, 4. XLII. ELIAE MARTINI EYRINGII *Vita Erneſti Pii, D. S.* Lipſ. 1704, 8. His accedent XLIII. HIERONYMI EMSERI *Vita Divi Bennonis, Epiſcopi Miſnenſis*, Lipſ. 1512, fol. et XLIV. MARTINI HEIDENREICH *Vita Bennonis, Epiſcopi Miſnenſis*, Dresd. 1694, 8, tum et alia nonnulla, ad canonizationem, quam vocant, Bennonis ſpectantia, quae in Bibliotheca Univerſitatis noſtrae exſtant, ut patet e Catalogo MSS. p. 310 ſeq. Sequentur deinde, qui in urbibus Miſniae et Thuringiae Latino ſermone tum breviter tum paulo fuſius deſcribendis verſati fuere. Nimirum XLV. DAVIDIS PEIFERI *Lipſia*, Martisb. 1689, 8. XLVI. IO. IAC. VOGELII Diſſ. *de Inſignibus Lipſiae*, Lipſ. 1683, 4; quibus accedet *Oratio* noſtra *de viris eruditis, qui Lipſiam ſcriptis atque doctrina illuſtrem reddiderunt*, quam in ipſa Iubilaei Academici celebritate A. 1709 d. 4 Dec. recitavimus. (†) XLVII. TOBIAE SIMONIS, Dresd. Scholae Rect. *Oratio de Dresda*, Dresdae, 1622, 4.

XLVII.

(†) Huic, eodem A. 1709, 4, editae, proxime locum dabimus in Collectione *Orationum* MENCKENII, iam ſub prelo ſudante.

XLVIII. GEORGII AGRICOLAE *Dominatores Saxonici Fribergae*, Frib. 1611, 4. XLIX. IO. BOCERI *Fribergum in Misnia*, Lipſ. 1677, 4. L. GEORGII FABRICII *Freibergi deſcriptio atque Annales*, eiusdemque *Metalli Scharffenbergici deſcriptio*, quae, dudum a me in MSto ſervata, publicavit demum *Godofr. VVagnerus* VVittemb. 1710, 4. LI. PAVLI IENISII *Annabergae urbis hiſtoria, et de incendio A. 1604 immaniter in urbe graſſante*, Dresdae, 1605, 4. LII. IO. VVOLFFG. ROESCHII *Auguſtoburgum*, Ienae, 1671, fol. LIII. GEORG. GVIL. KIRCHMAYERI *Commentatio de VVitteberga Saxonum*, VVitteb. 1713, 4. LIV. IO. FRID. FRENTZELII *Ileburgum*, Lipſ. 1690, 4. LV. PHIL. BENEVVITZ, *ſive* APIANI, *Equus VVurcenſis, ſeu monumentum oppido VVurzenae ſacrum*, Lipſ. 1688, 4. LVI. IO. VVINCKLERI *de Borna Oratio ſynodalis*, Altenb. 1670, 4. LVII. IVSTINI PERTVCHII *Chronicon Portenſe*, Lipſ. 1612, 4. LVIII. ISRAELIS CLAVDERI *Altenburgum*, Altenb. 1647, 4. LIX. ABR. ROSENERI *Oratio de Altenburgo*, Ienae, 1593, 4. LX. IO. MAVR. GVDENI *Hiſtoriae Erfurtenſis Libri IV*, Duderſtadii, 1675, 8. LXI. Anonymi *Iuſtitia Protectionis Saxonicae in civitate Erfurtenſi*, 1663, 4. Poſtemo ſuccedent varii

generis ſcripta, quibus familiae illuſtres, inſignia item, et iura publica, ſtatusque literarum Saxoniae, illuſtrantur. Cumque in manibus noſtris ſit peregregius BENIAMINI LEVBERI, ICti, Codex, ab ipſo Autore A. 1650 nitide deſcriptus, quo familiae Comitum, Baronum, ac Nobilium Germaniae celebriores plus quam mille quingentae, accurate ſecundum decem Circulos deſcribuntur, operae pretium nos facturos exiſtimamus, ſi eas inde decerpamus LXII. *Familias illuſtres, quae ad Saxoniam ſuperiorem ſpectant.* Excipient haec LXIII. ADAMI RECHENBERGII *Diſſ. de Nobilitate Miſniae literata.* LXIV. IO. CONRADI KNAVTHII et LXV. VVILH. ERN. TENTZELII *Origines Beichlingianae*, laudabili doctrinae aemulatione eodem ferme ab utroque tempore editae. LXVI. Anonymi *Tractatus* haud inelegans *de familia Schoenbergia*, nondum publici iuris factus. LXVII. MART. PFVNTELII, Plav. *Analecta de familia Vodlandica a Feilitſch*, Curiae Var. 1628, 4. LXVIII. Ill. Viri, BERNARDI ZECHII, νῦν ἐν ἁγίοις, *Evolutio inſignium Saxoniae*, ante complures annos Francof. in fol. edita. LXIX. MICH. HENR. GRIBNERI, Viri de Iuribus Saxoniae praeclare merentis, *Diſſert. de Sigillo Maieſtatis Saxonico*, VVit.

VVit. 1718, 4. LXX. Eiusdem *de Palatinatu Thuringiae*, nec non LXXI. *de Iuribus Palatinatus Saxoniae Duci Electori propriis*, VVit. 1715, 4. LXXII. CASP. HENR. HORNII *Diss. de Comitibus Palatinis Saxoniae*, VVit. 1709, 4. LXXIII. BVRCARDI GOTTHELFF STRVVII *Diss. de Comitia Palatinatus Saxonici*, Ienae, 1712, 4. LXXIV. Eiusdem *Diss. de ruta Saxonica*, Ienae, 1705, 4. LXXV. CONR. FRID. REINHARDI *Diss. de Officiis Imperii Saxonicis*, Ienae, 1713, 4. LXXVI. *Diss.* noſtra *de Graecarum et Latinarum literarum in Miſnia inſtauratoribus*, Lipſ. 1701, 4, publicata. Quibus denique annectemus farraginem Epiſtolarum, Diplomatum, aliorumque monumentorum, ad Saxoniae noſtrae ſtatum pertinentium. Atque haec quidem cuncta nobis ſunt ad prelum parata; neque tamen ignoramus, paſſim adhuc latitare, quorum nobis copiam fieri vehementer optamus. Sunt vero ſequentes: Autor *de fundatione Coenobii Bigaugienſis*; Autor *Hiſtoriae Fundationis Monaſterii Boſaugienſis in Epiſcopatu Citizenſi*; ANTONII SIFFRIDI ZOPACHII *Annales Coenobii Buchavienſis ad Muldam*; Autor *Chronici Lipſienſis Thomani*; HIER. EMSERI *Chronicon Epiſc. Miſnenſium*; PRIAMI CAPOCII, LILIBETHA-

NI SICVLI, et FRIDIANI PIGNVTII, Itali, *de rebus Friderici Admorsi et Dicemanni* scripta; D. IOANNIS SALIANI, Medici et Mathematici Austriaci, *Historia Misnica et Saxonica*, cuius in Opere totius Carinthiae additoque Commentario de Sylva Hercynia et Civitate Montis Annae meminit: GEORGII FABRICII *Chron. Chemnicense*, PETRI ALBINI *Annales Schneebergenses*; eiusdemque *Historia VViperti, sive Genealogia Comitum Leisnicensium*, et *Aulaeum veterum Saxonum*; IO. RIVII *Mariaeberga*; ut et AZZONIS, Canonici regularis Martisburg. Capituli S. Ioannis, *Chronicon* MS. seu *Vita Henrici Aucupis*, quem librum se in manibus habuisse refert IO. VVLPIVS in Praef. Megalurgiae Martisburgicae. Ex his si quos nobiscum libros communicare non gravabuntur possessores, non modo publice id grati praedicabimus, verum etiam eos omni, quod aequum est, pretio pensabimus. Nec eorum monita insuper habebimus, qui suam sententiam vel de omittendis quibusdam scriptis, vel addendis aliis, nobis exponere non gravabuntur, cum sanioribus aliorum consiliis obtemperare, quam nostro arbitrio rem gerere, malimus.

DIS-

DISSERTATIO XVI.
DE
RITIBVS VETERVM, INPRIMIS ROMANORVM, CELEBRANDI DIES NATALITIOS.

AVgustissimi AVGVSTI nostri sacra Natalitia celebraturi, haud abs re putamus, de Veterum ritibus, qui diebus natalitiis fere proprii fuere, nonnihil commentari. Quae apud Aegyptios, Persas, Graecos, diei natalis fuerit festivitas, non attingemus: nec Thracibus immorabimur, qui dies natales non laetitia, sed luctu, prosecuti sunt, emortuales vero summo gaudio, perinde ac si nascamur miseriis, moriamur felicitati. (a) Enimvero apud Romanos natalem quisque suum praecipua religione et laetitia prosequebatur, convivia amicis dabat, (b) et vina largiter profundebat. Qui

 mos

(a) Io. LAVRENTIVS *de Natalitiis Conviv.* etc. *Cap.* 3.

(b) Quod quidem et Graecis et Persis in usu fuisse, docent I. C. BVLENGERVS *de Conviv. Cap.* 16, et I. P. TOMASINVS *de Tesseris Cap.* 9: *Caenam* inprimis *ii dabant* apud Romanos *amicis et magistris, quorum natalis esset celebrandae lucis annuae, quam principem sibi vitae habuerant.* GELLIVS XIX, 9.

mos ad Christianos quoque manabat, qui natales Martyrum dies conviviis celebrabant, prout GREGORIVS NYSSENVS (c) diserte meminit his verbis: *Cum animadvertisset, quod propter corporis voluptates simplex et imperitum vulgus in errore simulacrorum cultus permaneret; quo maxime id praecipuum in eis interim assequeretur, ut, vanis superstitionibus relictis, ad Deum converterentur, permisit, ut in memoriam Sanctorum se exhilararent, et oblectarent, atque in laetitiam effunderentur.* Non vero crapula mentem occupabat, sed in his epulis aqua calida convivis propinabatur, quae et apud gentiles subinde in usu erat (d). Praeterea hoc die cultu nitido et laeto incedebant cives Romani, pexi nempe, annulati, et in veste alba. Quam ad rem egregie PERSIVS: (e)

- - pexusque togaque recenti
Et natalitia tandem cum sardonyche albus.

Vbi vetus Scholiastes: *Quidam habent annulos*

(c) in *Gestis B. Gregorii Thaumaturgi.*
(d) Io. NICOLAI *de ritu Bacchanal. Cap.* 16: *Apud gentiles vero potiones vix honestas natalibus liberorum podagricus senex hauriebat.* SENECA *de Ira II,* 33.
(e) *Sat. I,* 14.

annulos, quos die tantum natali gerunt. Munera quoque a clientibus et amicis accepiſſe, non eſt, ut exemplis doceamus, cum eorum innumera fere exſtent. Fuere denique his feſtis Dii genethlii, Genius inprimis viris, et Iuno foeminis culta, unde illi per Genium, hae per Iunonem, iurabant, ut de Iove nunc, Neptuno, et Lucina, taceamus. (f) Et de Genio pulchre TIBVLLVS (g) in Genethliaco, quo Cornutum die natali donavit:

Dicamus bona verba, venit natalis, ad aras
Quisquis ades, lingua, vir, mulierque, fave.
Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipſe ſuos adſit Genius viſurus honores,
Cui decorant ſanctas mollia ſerta comas.
Illius puro deſtillent tempora nardo,
Atque ſatur libo ſit madeatque mero.

(f) Vid. LAVRENTIVS *l. c. Cap.* 2, et TOMASINVS *l. c.* Conf. PLINIVS *II*, 7.
(g) *Lib. II Eleg.* 2.

Qualis vero hic Deus fuerit, apte et ſuccincte docuit HORATIVS: (h)

- Genius, natale comes qui temperat aſtrum,
Naturae Deus humanae.

Alii vocant Deum, cuius in tutela, ut quisque natus eſt, vivit; quem ſeminudum veteres pingunt cum cornu copiae in ſiniſtra, et calatho in capite, dextera pateram vel ſimpulum tenentem, ſtantem ante aram verbenis ornatum, quaſi ſacrificantem, modo puerili, modo iuvenili, modo ſenili forma. Quamvis Platonici per Genium non niſi vim mentis et promtitudinem animi, qui in ſingulis eſt, intelligant. (i) Huic nimirum non modo liba, ſolennes in omni ſacro natalitio dapes, ſeu placentas, ut SERVIVS (k) teſtatur, de farre, melle et oleo, libabant, ſed et eum thure, floribus, pulte quoque, et inprimis mero, placabant. (l) Antequam enim convivia natalitia cele-

(h) *Lib. II Epiſt. 2 v. 187.*

(i) BOXHORNIVS in *Quaeſt. Rom. Qu.* 34.

(k) In *L. 7. Aen.* 109.

(l) De his BOXHORNIVS *l. c. Qu.* 21: *Veteres, cum die natali munus annale Genio ſolverent, manum a caede et ſanguine* (hoſtiis nempe) *abſtinuerunt, ne die, qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent. Vino autem ſacra fecere, quia*

celebrarent, merum largiſſime profundebant Geni o, cumque perſuaſum eſſet Romanis, nihil eo die negare Genium, quo magis vino animi exhilarentur, liberius bibebant, adeo, ut vulgi verbo *genio vacare*, *indulgere*, idem ſit ac epulari, *genium* vero *defraudare* dicantur, qui parco victu utuntur. Quam tamen ſuperſtitionem minime ferendam Chriſtianis, ſtatuit *Theodoſius*, qui ſevere, ne quis mero Genium veneretur, interdixit. (m) Vti vero ipſi etiam Deorum dies natales magna feſtivitate colebantur, ut Apollinis

illud facit ad promovendam hilaritatem. Natura enim innatum, laetari ob id ipſum, quod ſumus, dolere autem, cum perimus. An non puls, quam fritillam nominabant, ideo adhibita, quod primum natis illa praeſtet alimentum, vix dubitamus. Conf. CENSORINVS *de die Natali Cap. 2.*

(m) *L. Nullus 12 C. Th. de pag. ſacrif.* quam legem corruptam ita bene interpunxit legitque LINDENBROGIVS *ad Cenſorinum p. 14: Nullus omnino ex quolibet genere, ordine, hominum, dignitatum, vel in poteſtate poſitus, vel honore perfunctus, ſive potens ſorte naſcendi, ſeu humilis genere, conditione, fortuna, in nullo penitus loco, in nulla urbe, ſenſu carentibus ſimulacris, vel inſontem victimam caedat,* (nam id quoque ſequioribus temporibus a Romanis factum,) *vel ſecretiore piaculo Larem igne,* mero Genium, *Penates odore, veneratus, accendat lumina, imponat thura, ſerta ſuſpendat.*

nis VII Aprilis, Dianae ſexto die menſis eiusdem (n), et illius quidem a pueris maxime, huius a puellis, (o) quaſi ipſi etiam Dii prodeant ex utero, ut loquitur ARNOBIVS (p); ita hac quoque in re nihilo minores Diis haberi voluere ſummi Principes et Imperatores, diesque ſibi natales, aeque ac Deorum, Romanis in perpetuum feſtos et auſpicatos eſſe, vel paſſi ſunt aequo animo, vel praeceperunt ipſi, et, ſi negligeretur hic cultus, indigniſſime tulerunt. Legi hic meretur Decretum de celebrandis Auguſti et Tiberii natalibus, apud GRVTERVM (q):

AEDICVLAM. ET. STATVAS. HAS. HOSTIAM. DEDICATIONI. VICTIMAE. NATALI. AVG. VIII. KAL. OCTOB. DVAEQVAE. P. P. IMMOLANT. CONSVETAE. SVNT. AD. ARAM. QVAE. NVMINI. AVG. DEDICATA. EST. VIII. KAL. OCT. IMMOLETVR. ITEM. NATALI. TIBERI.

(n) TOMASINVS *l. c.*

(o) ACRON in *Horat. Od. II,* 12.

(p) VII *p.* 238: *Telluris natalis eſt. Dii enim ex uteris prodeunt, et habent dies laetos, quibus eis adſcriptum eſt auram uſurpare vitalem.*

(q) *Tom. I p.* 228 *edit.* 2.

BERI. CAES. PERPET. ACTVRI. DECVRIONES. ET. POP. CENET. QVAM IMPENSAM. C. CASCELLIO. LABEONI. IN. PERPET. POLLICENTI GRATIAE. AGANTVR. MVNIFICENTIAE. EIVS. EOQVE. NATALI. VT. QVOTANIS. VITVLVS. IMMOLETVR. ET. NATALIB. AVGVSTI. ET. TIBERI. CAESS. PRIVSQVAM. AD. VESCENDVM. DECVRIONES. EANT. THVRE. ET. VINO. GENII. EORVM. INVITENTVR.

ARAM. NVMINI. AVG. PEC. NOSTRA. PONENDAM. ET. LVDOR. EX. IDIB. AVG. DIEB. SEX. FACIVNDOS. CVRAVIMVS.

NATALI. AVGVSTAE. MVLSVM. ET. CRVSTVLA. MVLIERIB. VICANIS. AD. BONAM. DEAM. PEC. N. DEDIMVS.

Et Augusti quidem natalem Equites Romanos biduo semper, nullo quidem decreto, sed *sponte atque consensu*, celebrasse, SVETONIVS (r) testatur, cum quo conspirat fere DIO CASSIVS (s), qui, *Natalis*, inquit, *Augusti in circo et vari-*

is

(r) *Aug. Cap.* 57.
(s) *LIV p.* 545, *LV p.* 552.

is aliis urbis locis venationibus celebratus est, idque etsi non decretum, tamen quotannis fere a Praetoribus factum: nec ingratum id fuisse memorat Augusto, qui bene vertit, quod natalitiis suis perpetui ludi essent equestres. De Nerone quoque decretum deprehendimus in fragmento Inscriptionis fratrum arvalium: (t)

IN. CAPITOLIO. OB. NATALEM. NERONIS. AVG. GERMANICI. IOVI. B. M. IVNONI. VACCAM. MINERVAE. VACCAM. FELICITATI. PVBLICAE. VACCAM. CONCORDIAE. VACCAM. GENIO. IPSIVS. TAVRVM.

At is, ut erat honorum initio parum appetens, *Natalem suum, plebeiis incurrentem Circensibus, vix unius bigae adiectione honorari passus est;* (u) quod hoc luculentius in Principe iuvene modestiae signum fuit, cum inter causas, quibus ludi fiebant Circenses, ipsi etiam dies natalitii exstiterint. (x) Ab hoc longe

(t) Apud GRVTER. *p.* 120 et STRVV. *Syntagm. Antiq. Rom.*

(u) Teste SVETONIO *Tib. Cap.* 26.

(x) Vid. ON. PANVINIVS *de lud. Circ. Lib.* I *Cap.* 9.

longe diverſus fuiſſe videtur Caligula, de quo pariter SVETONIVM (y) audiamus: *Conſulibus, oblitis de natali ſuo edicere, abrogavit Magiſtratum, fuitque per triduum ſine ſumma poteſtate Reſpublica.* Ceterum, ut male imperantium natales dies pro nefaſtis habiti fuere; (z) ita mirum, quam auſpicati illi fuerint nonnullis Principibus, ac praeſertim belli ducibus, qui ſecundam fere ſemper in bello fortunam natali die ſuo experti ſunt. Vt enim taceam Timoleontem Corinthium, *qui praelia maxima natali die ſuo fecit omnia, quo factum, ut eiusdem natalem feſtum haberet univerſa Sicilia*; (aa) conſtat de Alexandro M. eum die natali non Darium ſolum, verum et alios ſubinde hoſtes feliciter ſuperaſſe. Nec quemquam latet, quam boni ominis fuerit Carolo V Imp. dies 24 Febr. quo natus eſt, cum eo die Franciſcum I, Galliae Regem, ſuperaverit ceperitque A. 1525; Bononiae coronam ſuſceperit Imperatoriam A. 1530; Mauritio, Saxoniae Duci, Electoralem dignitatem ſolenni ritu contulerit A. 1548; demumque Ferdinando I Imperii faſces detulerit A. 1556. Et quidni Natalem quoque

(y) *Calig. Cap. 26.*

(z) Ita Nero diem natalem Agrippinae inter nefaſtos referendum ſuaſit. SVET. *Cap. 53.*

(aa) CORN. NEP. *Cap. 4.*

que *Potentissimi ac Serenissimi Principis ac Domini*, DN. FRIDERICI AVGVSTI, *Regis Poloniarum, et Electoris Saxoniae*, DOMINI nostri longe Clementissimi, quem proxima *die XII Maii* inter publica tripudia pie celebrabimus, nobis inprimis, auspicatum praedicemus: qui praesentem hoc die, et pristinas vires, quas fatalis morbus attriverat, recuperantem, *Optimum Principem* devoto cultu veneramur. Romani ei, qui natalem suum celebrabat, solenni more acclamabant: HOC DIE NATE, SALVE! Hac formula quidni et *Potentissimum Regem ac Electorem* nostrum excipiamus: SALVE HOC DIE NATE! SALVE REIPVBLICAE! SALVE ACADEMIAE NOSTRAE! Quibus verbis subiungimus illud TIBVLLI (bb) votum:

At tu, natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper, candidiorque redi.

(bb) *Lib. I Eleg. 8.*

DIS-

DISSERTATIO XVII.
DE
STATVRA HVMANA, NVM NOSTRA AETATE MVLTVM A PRISTINA PROCERITATE DEFECERIT? CONTRA PETRVM DANIELEM HVETIVM.

CVm *Huetiana*, nuper admodum Parisiis edita, perluſtrarem, miratus ſum, Virum gravem et doctrina non minus, quam rerum uſu, confirmatum, PETRVM DANIELEM HVETIVM, quo magis veteres prae noſtris hominibus extolleret, ſerio in eo laborare, ut, effoetam rerum naturam in dies magis enervari, atque ipſam hominis ſtaturam multum hoc tempore a priſtina proceritate defeciſſe, doceret. (a) Nimirum iſtud ſenum fere vitium eſt, ut praeteriti aevi felicitatem ac delicias magni facientes, praeſentia aſpernantes, de futuris peſſime ominantes, continuo nobis oggänniant HORATIANVM illud:

Noſtra aetas, peior avis,
Tulit nos nequiores,

Mox

(a) *p.* 32, 33.

Mox daturos progeniem
Vitiosiorem.

Enimvero ipſum inter veteres PLINIVM (b) ille producit, qui, *cuncto*, inquit, *mortalium generi minorem in dies fieri menſuram, propemodum obſervatur, raroſque patribus proceriores.* Et poterat ad HOMERVM provocare, mille annis PLINIO antiquiorem, qui ſaepius in Iliade teſtatur, maiora ac validiora Troiani belli, quam ſua aetate, fuiſſe hominum corpora. Cuius autoritatem non PLINIVS tantum eo loco, quem modo adduximus, verum et IVVENALIS (c) ſequitur in his:

Nam genus hoc vivo] iam decreſcebat Homero:
Terra malos homines nunc educat atque puſillos.

Sed illud perridiculum et vere ſenile argumentum, quod ex menſura veterum petit HVETIVS, quando, pedem VITRVVII aetate ſepties fere maiorem, quam noſtra, fuiſſe, arguit; cui ſi vis ineſſe debet, ſequeretur, ex iuſtae proportionis lege, ſepties maiorem tum hominis ſtaturam fuiſſe. Atqui ſibi ipſi ad-

(b) *Hiſt. Nat. L. VII Cap.* 16.
(c) *Satyra XV*, 69.

adversatur bonus ille senex: vix enim centum annis antiquior Plinio fuit VITRVVIVS; an igitur intra unius Seculi spatium tam enormiter defecit humani generis vigor? Immo de se ipso fatetur VITRVVIVS, (d) vir unus omnium in arte sua praestantissimus: *mihi autem staturam non tribuit natura.* Dicis: ipsi olim Germani, (e) si TACITO credimus, *proceri omnes, et in tanta multitudine unus fuit corporis habitus*, id quod POMP. MELA, IVL. CAESAR, COLVMELLA, QVINTILIANVS, IOSEPHVS, confirmant; unde et VEGETIVS, *quid*, ait, *adversus Germanorum proceritatem Romanorum brevitas potuisset?* Et Burgundiones septipedes non uno in loco appellantur SIDONIO; nunc promiscui, breves, longi, comparent: hoc indicium est degenerantis, aut senio quasi delirantis, naturae. At Poeni (f) olim, teste SILIO ITALICO, breves erant et pusilli; nunc Africa satis proceros homines gignit. Ergone illic iuvenescit natura, dum apud nos ad senium vergit? Nugae. Mediocritatem amat illa, nec magis defectu peccare videtur, cum pusillos, quam excessu, cum longos

L supra

(d) *L. 2 in Praefat.*

(e) Conf. CONRING *de Habitu Corpor. Germ.*

(f) *Conringiana Epistolica altera p. 708.*

ſupra modum et excelſos homines producit. Celebrat Italia illuſtres *Piccininorum* et *Piccolominorum* gentes, qui, quod iuſto breviore ſtatura gauderent, nomen adepti ſunt: (g) ſed et habet *Contarenos* ſuos, (h) *Grandis* cognomine conſpicuos; et parum utique refert, brevis an longus fueris, modo virtute, doctrina, ingenio, moribus, alios antecellas. Equidem, ſi fatendum, quod res eſt, magna fuit quondam apud gentes, praecipue Orientales, proceritatis commendatio, nec quisquam dignior imperio habitus, quam qui exſtantem humeris ſuſpiceret altis, qua de re, ut alios taceamus, Saulem quoque Samuel (i) commendabat: *videtis, quem elegit Dominus, quoniam non eſt ſimilis illi in omni populo.* Atque hinc etiamnum, qui ad clavum ſedent Venetiis, omnes velut heroas ſtatura eminere dicunt, (k) quod exiſtimatum eſſet, qui ſtatura praeſtant, eosdem et autoritate, conſilio, prudentia, ceteros vincere. Quid ergo? Num vel ALEXANDRO M. vel IVLIO CAESARI, maximarum Monarchiarum ſtatoribus, gibboſitas ſua, aut ſtaturae medi-

ocri-

(g) NAVDAEVS in *Praef. ad A. Niphi Opuſc.*
(h) BARTH. BONIFACIVS in *Elog. Contareni p.* 29.
(i) 1 *Sam. X,* 24.
(k) BONIFAC, *l. c.*

ocritas nocuit, quo minus orbem propemodum universum, atque adeo et barbaras gentes, quibus, ob formam, erant despicatui, sub imperio haberent? Nec certe CAROLVS M. (l) quantumvis *magno atque robusto corpore, statura eminente*, rebus maximis gerendis par fuerat, nisi patrem habuisset PIPINVM *Parvum*, qui Gallorum regnum incredibili virtute ad se rapuit, primusque feroces Longobardorum, Bavarorum, Saxonum, animos viresque fregit. Ita vero de PIPINO IO. DE BVSSIERES: (m) *Pipinus parvo in corpore magnas animi dotes obtinebat: nam, natura quidem pusillus, quaternos supra dimidium pedes vix implebat, unde illi Brevis, aut Parvi, cognomen; at animus in arcta cista amplissimus, uni imperio conditus, adeo non capiebatur corpusculi modo, ut nec Franciae terminis, qua patebat late, conscriberetur.* Num quid vero de ANTAEO, TYPHONE, CYCLOPE, praeter staturam, memoratu dignum celebratur? Et ne nomina quidem GABBARAE, POSIONIS, et SECVNDILLAE, ad nos pervenissent, nisi novem et amplius pedum mensuram implevissent. (n) Rarus

L 2 *prae-*

(l) EGINHARD. *Conf.* FREHERVS *de Stat. Car. M*
(m) *Lib. IV p. m.* 242.
(n) PLIN. H. N. *l.* 7. *c.* 2

- - - - *praestanti corpore* TVRNVS
Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est;

plures TYDEO similes, de quo HOMERVS: (o)

Τυδεὺς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής,

et ex eo STATIVS: (p)

- - - - *sed non et viribus infra*
Tydea fert animus; totosque infusa per artus
Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

Quid? quod, vocabulum μέγας apud Romanos pro insulso et stolido dictum fuisse, Critici observant. (q) Et BACO DE VERVLAMIO, cum de legato Gallico, admodum procero, sententiam dicere a Iacobo VI, Angliae Rege, iuberetur, illum sibi similem videri, respondebat, altissimis palatiis, quorum vulgo partes supremae neglectissimae habeantur, minusque splendide exornentur. (r) Inepte

(o) *Il. E. v.* 801.
(p) *Thebaid. L.* 1.
(q) DOVSA F. in *Not. var. ad* CATVLLI Epigr. LXVIII.
(r) HOVVELLS *Letters Sect.* 2 *Lett.* 1.

Inepte vero et loco plane alieno barbarus ille et inficetus Gloſſator ad verba *L. 1 ff. de Iurisd. omn. iud. Ius dicentis officium latiſſimum eſt*, allevit in gloſſa: *Cur non longiſſimum? Reſpondetur, quia viri longi raro ſunt ſapientes.* Quae quam parum veritati conſentanea ſint, plurimis exemplis, ſi inſtituti ratio permitteret, poſſet doceri. Nam et ſuperior aetas THEODORVM BEZAM, M. HIER. VIDAM, HADRIANVM IVNIVM, IOANNEM DV BOSC, aliosque Viros admodum proceros, (ſ) ſed et eruditiſſimos prudentiſſimosque, tulit: et noſtra NOODTIOS et BENTLEIOS (t) ſuos habet, non minus domi proceritate, quam doctrina foris, conſpicuos. Sunt porro, qui nimium tribuunt parvitati, et, quo plus decedere vident humano corpori, eo maiorem animi vim deprehendere ſibi videntur. Vnde et BERNARDVS CONNOR, minuta quaeque corpora perfectiſſima, ratus, concludit, (u) fore, ut homines, qui cum naturali, ſeu ponderoſo et craſſiori, corpore olim obierunt, cum ſpirituali quodam microſomate, ſeu puſillo corpuſculo, paſſerum forſan, immo fortaſſis et muſcarum, in-

(ſ) FRANCII *Poſthuma p. 59 et 177.*
(t) GYRALDVS *de Poet. Dial.* 4 *p.* 203.
(u) Ex *Evang. Med. Acta Er. A.* 1698 *p.* 359.

inſtar, leves maxime, agiles, et ſumme mobiles, renaſcantur; quem quidem Scriptorem ſuo ſenſu abundare, facile patimur. Pertinet tamen huc quodammodo EVNAPII locus (x) de ALYPIO, Philoſopho: ὁ διαλεκτικώτατος Ἀλύπιος ἔτυχε μὲν σώματος μικροτάτε, καὶ τὸ σῶμα πυγμαῖον παρέβαινον ἐλάχιστον· ἐκινδύνευε δὲ καὶ τὸ φαινόμενον σῶμα, ψυχὴ καὶ νοῦς εἶναι· οὕτω τὸ φθειρόμενον ὀκ ἔδωκεν εἰς μέγεθος δαπανηθὲν εἰς τὸ θεοειδέστερον κ. τ. λ. Et, quoniam patitur hic locus, addamus exempla alia doctorum omnis aetatis Virorum, qui tenui corpore excelſas animi dotes condiderunt. Non minor διαλεκτικωτάτῳ ALYPIO CHRYSIPPVS fuit, de quo dictum accepimus, *ſi apud Deos uſus eſſet Dialecticae, non futuram aliam, quam* CHRYSIPPEAM; (y) at erat is τὸ σωμάτιον εὐτελής, ut ex imagine eius, in Ceramico poſita, apparuit, quae cum prorſus fere occuleretur a vicino equite, CARNEADES eum, mutato paullo nomine, Κρύψιππον nuncupabat. PHILETAS, Ptolemaei Philadelphi quondam praeceptor, in Grammatica et Poeſi, Elegia praeſertim, princeps, tam puſillus erat et macilentus, ut plumbo, ad pedes appenſo, opus haberet, ne vento diffla-

(x) in *Iamblicho p.* m. 28.
(y) DIOG. LAERT. *L. VII Segm.* 181 et 183.

difflaretur. (z) Erat TYRTAEVS gibbosus, monstrosus HIPPONAX, uterque pusillus: (aa) at ille fervidissimo carmine Lacedaemonios ad victoriam incitabat, hic satyra mordacissima, quoscunque impetebat, adigebat ad restim. Quibus e Graecis SAPPHO accedit, mira Lyrici carminis suavitate commendabilis, quae ita de se apud OVIDIVM: (bb)

Nec me despicias, si sum tibi corpore parva,
Mensuramque brevis nominis ipsa fero.

HORATIVM, inter Latinos, brevi fuisse corporis habitu, et ipse testatur in Satyris, et AVGVSTVS (cc) in hac Epistola: *Protulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ne accusem te, quatuluscunque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne maiores libelli tui sint, quam ipse es. Itaque, licebit, in sextariolo scribas, cum circuitus voluminis tui sit, sicut est ventriculi tui.* Nec minus suae sibi parvitatis conscius OVIDIVS erat, qui nunc:

Pondere, non nervis, corpora nostra carent,

(z) ATHENAEVS *Lib.* 12 *Cap.* 13 *p.* 552.
(aa) LE FEVRE *Vies des Poetes Gr.* *p.* 16 *et* 45.
(bb) *Epist. Heroid.*
(cc) SVETON. *in vita Hor.*

nunc ait:

Aptaque subducto corpore membra dedit.

Omittimus CORN LICINIVM CALVVM et L. ACTIVM, Poetas non ignobiles, aliosque veteris aevi virunculos, (dd) ut propius accedamus ad recentiores. Inter Italos primus mihi offertur AGNELLVS, cuius Vitas Pontificum Ravennatum in lucem a BENED. BACCHINIO protractas novimus, nomen, ni fallor, a pusilla statura nactus, siquidem Poeta barbarus in praemissis Operi versiculis eum vocat

Formosum facie, verbo rutilum, ore loquacem,
Corporis exiguum membris, sed mente capacem.

De MARIANO SOZINO, ICto, ita scribit AENEAS SYLVIVS: (ee) *Nihil ei, praeter formam, natura invidet. Homuncio est: nasci ex mea familia debuit, cui* Parvorum hominum *est cognomen. Vir est eloquens, Iuris utriusque consultus. Historias omnes novit. Poeticae peritus est. Carmen facit et Latinum et Tuscum. Philosophiae tam scius, quam Plato. Geometer, Boetius. In numeris*

(dd) Conf. GYRALDVS de Poetis *Dial.* 4 *p.* 224, et CRINITVS *de Poet. Lat. L. II Cap.* 28.

(ee) *Praef. ad lib. de Euryali et Lucretiae amor.*

ris Macrobio ſimilis. Nullum inſtrumentum ignorat muſicum. Agriculturam quaſi Virgilius novit. Nihil civile ignotum viro. Pretioſiora ſunt interdum parvi corporis vaſcula, ut gemmae lapillique teſtantur. Dii formam huic homini et immortalitatem ſi dediſſent, is etiam erat Deus etc. MARSILIVS FICINVS, clariſſimus ſua aetate Platonicae Philoſophiae inſtaurator, tam brevi fuiſſe corporis ſtatura perhibetur, ut ad virorum ſolitae magnitudinis lumbos vix pertingeret: (ff) at magnus illi animus erat et conſtans. E Gallis CAROLVS MOLINAEVS, (gg) ingens Iurisprudentiae lumen, exiguo fuit corpore: idem tamen ipſius Annae Montmorantii elogium meruit, qui coram Henrico II, Rege, faſſus fertur, *plus parvum hunc hominem parvo libello effeciſſe apud Pontificem, quam Regem exercitu triginta millium.* IACOBVM FABRVM, *Stapulenſem*, homunculum genere ſtaturaque perhumili, ſed ab ardenti ingenio cum optimatibus haud dubie conferendum, IOVIVS (hh) vocat. De PETRO VIRETO, qui Eccleſiae Reformatae in Gallia ſuo tempore

 de-

(ff) BVLLART *Acad. des ſcienc. T. II L. 2 p. 72.*
(gg) TEISSIER *Addit. aux Eloges de Thou T. II p. 262.*
(hh) *Elog. T. II p. 203.*

decus exstitit praecipuum, idem fere testantur scriptores. (ii) Quibus accedit ANTONIVS GODELLVS, vir Historiae Ecclesiasticae peritissimus, quem, ob staturae brevitatem, *Embryonis* elogio mactavit VETTVRIVS. (kk) Ex Anglis duumviros producimus, THOMAM LYDIATVM, in antiquitatibus, linguis, Theologia, principem, quem, ob parvitatem ac deformitatem, contemtui fuisse plerisque, ferunt; (ll) et IO. OVVENVM, callidum Epigrammatum artificem, qui ita de se ipso lusit:

Parva tibi statua est, quia parva statura, supellex
Parva, volat parvus magna per ora liber.

Inter Belgas CORNELIVS A LAPIDE (mm) pusillus quidem corpore, at ingenio magnus, celebratur: cui forte adiungi IAC. GRONOVIVS, FRANCIVS, et BROVCKHVYSIVS, possent, qui, etsi pusilli non fuerint, infra mediocritatem tamen substitere. Vnus denique e Germanis instar omnium nobis erit HERM. CON-

(ii) M. ADAMI *Vitae Theol. exter. p.* 121.
(kk) *Oeuvres de* VOITVRE *T. II p.* 84.
(ll) ECHARD *Hist. of. Engl. T. II p.* 565. Conf. VVOOD *Ath. Ox. p.* 401.
(mm) DESSELII *Bibl. Belg. p.* 145.

CONRINGIVS, qui, ut brevitate ſua fabellas et ſatyras in ſe provocavit, ita vaſta doctrina laudes longe maximas et meruit, et ſuperavit.

DISSERTATIO XVIII.

EXHIBENS DE COCCINEO, NIGRO, ET ALBO COLORIBVS, NEC NON DE RITV CELEBRANDI FESTVM AVREI VELLERIS, QVAEDAM SINGVLARIA.

INter celebriores Ordines militares principatum quodammodo hodie obtinere ſplendidiſſimum Ordinem Aurei Velleris, nemo facile inficiabitur. Qui, cum a PHILIPPO BONO, Duce Burgundiae, A. 1429 pie inſtitutus eſſet, tanta paulatim, Burgundia inprimis ad potentiſſimam gentem Auſtriacam translata, incrementa cepit, ut a ſummis Regibus ac Principibus certatim expeteretur. Nec maior ulla fuit, quam Ordinis huius, celebritas annua; quod tum adeo patuit, cum MAXIMILIANVS, qui primus hoc decus, ducta MARIA, Burgundica, in gentem ſuam intulit, IOANNEM II, Aragoniae Regem, ad feſtivitatem Ordinis huius, cui is adſcriptus erat, Montibus

bus A. 1478 celebrandam invitaret, qui, cum ipſe praeſens eſſe non poſſet, miſit tamen eo Procuratores ſuos, primariae dignitatis viros. (a) Tanta quoque fuit eius apud Hiſpanos exiſtimatio, poſtquam ad eos cum Burgundia imperium quoque huius Ordinis pervenit, ut ceteri Ordines, qui ſummo antea in honore habebantur, S. Iacobi nempe, Alcantarae, et Calatravae, vileſcere propemodum coeperint. Et CAROLVS V Imp. Feſtum Aurei Velleris inter auſpicatiſſima numerabat, quod A. 1519 eodem die, quo illud Barcinone incredibili pompa celebrabat, nuntius ipſi de electione ſua in Imperatorem afferretur, (b) non vano augurio, futurum nempe noſtris temporibus, ut ius creandi Equites Aurei Velleris, deficiente in Hiſpania Auſtriaca ſtirpe maſcula, cum ipſo Circulo Burgundico ad Germanum Imperatorem, Auguſtiſſimum CAROLVM VI, revertatur. Habet vero id inter alia praecipuum hoc Feſtum, quod triduo integro continuatur, ſancitumque iam pridem a PHILIPPO BONO, ut Ordini huic adſcripti prima die punicea, ſeu coccinea, (Cra-

(a) HIER. SVRITA *Annal. de Aragon. T. IV p.* 295.

(b) ALONSO LOPEZ DE HARO *Nobiliario Genal. P. II p.* 149.

(*Cramoiſin*), altera nigra, tertia candida, veſte induti, in publico comparerent. (c) Quod cum minime videatur temere ita conſtitutum, non erit ab hoc loco alienum, cauſas eius rei paullo altius inveſtigare. Optime nimirum color ille, quem coccineum vocamus, accommodatus videtur huic Ordini, cuius princeps fere praeceptum eſt, ut Equites promittant, ſe Eccleſiam ac fidem Chriſtianam adverſus quoscunque eius hoſtes vel ſanguine ſuo tuituros. (d) Eadem enim ratione motum, Pontificem Innocentium IV, primum ferunt Lugduni (cum is FRIDERICO II Caeſari diem diceret) ſplendidiſſimo Romanae Eccleſiae Senatui cauſiam puniceam conceſſiſſe, nempe ut eo colore defenſionem Eccleſiae ad ſanguinem uſque profiterentur. (e) Atque ita de Principe Tarenti, Boemundo, Guiſcardi, Apuliae Ducis, filio, obſervant, (f) quod expeditionem ſacram parans, ſciſſis ac diremtis in taeniolas coccineis duabus veſtibus, cruces confe-ce-

(c) HELYOT *Hiſt. des Ordr. rel. et Mil. T. VIII p.* 346, 347.
(d) Idem *l. c.*
(e) SILV. PETRA SANCTA *Teſſ. gentil. p.* 22. Conf. COHELLVS *Notit. Cardin. Cap. XI p.* 28.
(f) PETRA SANCTA *l. c.*

cerit, assueritque illas sagulis duodecim millium bellatorum, quo nimirum admonerentur, proprium unicuique sanguinem esse profundendum pro Regionis Sanctae liberatione. Nimirum iam olim Seculo III a C. N. Eutychianus Pontifex praeceperat, ut, qui Martyrem sepelirent, rubea veste incederent, quo illum sanguine fidem Christianam confirmasse ostenderent. (g) Fuit vero color ille antiquissimis temporibus maximo in pretio: unde SERVIVS triplex genus trabeae considerans, primum ex sola purpura Diis consecrat, alterum ex purpura et cocco ait fuisse indumentum Augurale. (h) Et Regibus quidem ac summis in pace ac bello magistratibus ideo tributus creditur, ut sanguinis poenam a reis sibi exigendam meminerint. Quae ratio etiam in ipso Ordine Aurei Velleris locum habet, cuius statuta, praeter fidei, ut diximus, defensionem, iustitiae quoque custodiam Equitibus iniungunt. Praeterea coccineam fuisse ferunt chlamydem illam ALEXANDRI M. cum qua post trecentos annos Cn. Pompeius de Asia triumphavit; (i) et vestis purpurea,

(g) Ex ANASTASIO *Bibl.* BONANNI *della Gerarchia Eccl. Cap.* 84 *p.* 350.

(h) PETRA SANCTA *l. c. p.* 21.

(i) Id. *p.* 28.

rea, ſeu coccinea, Romae Senatum diu ab equite et plebe diſtinxit, (k) ut diſerte MARTIALIS:

Diviſit noſtras purpura veſtra togas.

Sed de rubeo in genere colore alia occaſione diximus uberius. Ad nigrum pergimus, quem, noctis aemulum, parum fauſti olim ominis fuiſſe conſtat. Nam et Manes nigros, et totam Plutonis et Hecatae, quibus et nigra victima deſtinata, aulam nigram, Orcum nigrum, (l) Cerberum atrum canem, (m) Plutonis equos nigros, (n) et curam atram, (o) atrumque timorem, (p) veteres dixere; ut taceam, quae de infauſti ominis ave nigra, de homine nigro, quem cavendum HORATIVS ſuadet, et ſimilibus, memorantur. Quo pertinet et illud M. TVLLII (q) ad Vatinium: *Cui de balneis exeunti, praeter te, toga pulla unquam data eſt? cum tot hominum millia accumberent, cum ipſe epuli dominus, Q. Arius, albatus eſſet, tu in templum Caſtoris te cum C. Fidulo atrato,*

(k) Id. *p.* 21.
(l) HORATIVS *L.* 4 *Od.* 2.
(m) SENECA *Her. fur. v.* 58.
(n) OVIDIVS *Metam. V.*
(o) HORATIVS *L.* 3 *Od.* 1 *et* 14.
(p) VIRGILIVS *IX Aeneid. v.* 719.
(q) *Orat. in Vatin.*

atrato, ceterisque tuis furiis, funestum intulisti. Plerisque etiam gentibus pro luctus indicio habitus fuit hic color, primique Ægyptii pullati luxerunt caedem Osiridis. (r) Nec forte memoratu indignum, quod, post funesta CAROLI V Imp. bella, ubique locorum, maxime in Germania nostra, pullum vestium colorem, qui tamen et apud nos et vicinas gentes infrequentissimus antea fuerat, in usu esse coepisse, nonnulli observant. (s) Cum tamen et fuscus color terrae sit proprius, eoque et Ægyptii Isidi, quae coniux Osiridis perhibetur, et Graeci Romanique Cereri, faustis Numinibus, quod frugalitatem et abundantiam promovere crederentur, et velum et vestem nigram tribuerint, eundemque colorem amarint, qui sacra his Deabus facerent, *μελανηφόροι* inde dicti, (t) hinc patet, nec nigredini suum defuisse decus. Inprimis vero virum gravem hunc maxime colorem decere, olim existimatum est: quamobrem Philosophi, qui ipso habitu, ut notum, gravitatem sectabantur, pallio fusco, ut Rhetores rubro, seu purpureo, ince-

(r) SERV. *ad II Æneid.*
(s) VVOLFG. HEIDERVS in *Hypotyp.* p. 9.
(t) STEPH. LE MOYNE *de Melanophoris, apud* CVPERVM *in Harp. p.* 260 *seq.*

incedebant, nec, eiuratis licet paganorum erroribus, mores mutabant: (u) id quod, ut alios taceam, IVSTINI MARTYRIS exemplo patet, de quo EVSEBIVS testatur, (vv) quod habitu Philoſophi verbum Dei praedicaverit. Ex quo non ineptam facit coniecturam doctiſſimus STEPHANVS LE MOYNE, (x) habitum et pallium Philoſophorum paulatim ad Epiſcopos, Presbyteros, Aſcetas, et Monachos, tranſiiſſe. Sed neque ingratus adeo eſt color ille, quem et amantibus convenire quodammodo, exiſtimavit AVGVSTINVS NIPHVS. (y) *Nam niger color*, inquit, *firmitatis indicium atque perſeverantiae eſt, quod ſuper eo nulla alia ſit tinctura.* Quid, ſi ergo dicamus, nigrae veſtis ſymbolo Equitibus Aurei Velleris, quos mutuo amore ſe complecti decet, fidei conſtantiam ac firmitatem commendari? Niſi forte iterum malis ad ſalutem Eccleſiae morte tuendam reſpicere, cum et mors atra dicatur, quia cadaver, exſtincto calore illo vitali, quo corpus alitur, atrum relinquitur, ut carbo, exſtincta favilla, et ſanguis effuſus ac frigefactus, amiſſo rubore, tanquam in carbonem

(u) Id. *p.* 275.
(vv) *Hiſt. Eccl. L. IV Cap.* 11.
(x) *l. c. p.* 276.
(y) *de Amore Cap.* 61, *in Opuſc. p.* 359.

nem mutatus, ater passim appellatur; (z) unde non immerito, qui primo die coccineo amictu incedebant, altero utuntur nigro. Eodemque, ni fallimur, iure tertii diei festivitas vestem albam requirit, quae, ut nunquam non puritatis, religionis, iustitiae, innocentiae, humilitatis, libertatis quoque, et felicitatis, symbolum fuit, quae pluribus diducere hoc loco non licet, ita serenitatem inprimis perpetuam et aeterna gaudia promittere videtur fortiter pugnantibus. Nam, etsi albus etiam color infausti ominis sit apud fuscas gentes quasdam barbaras, adeo, ut Chinenses eo utantur in luctu, et Malabares daemonem sibi album fingant, (aa) attamen reliquis omnibus gratissimus utique existimatur, quod lumini, cuncta illustranti ac recreanti, aeque, ac niger color tenebris, proxime accedit. Itaque iam olim a Graecis pariter ac Romanis ipsi Deo, Patri luminum, consecratus fuit, prout testantur PLATO et CICERO, uterque in libris de Legibus; et PYTHAGORAS autor erat, ut, qui Diis hymnos decantarent, candida veste incederent. (bb)

Quan-

(z) THILESIUS *de Color. Cap.* 3, *ap.* GRONOV. *Th. Ant. Gr. T. IX p.* 715.

(aa) *Oeuvres de* LA MOTHE LE VAYER *T. II p.* 297 *ed. in fol.*

(bb) LA MOTHE LE VAYER *l. c.*

Quanta porro ſit coloris huius praeſtantia in veſtibus, exemplis Moſis, Salomonis, et ipſius Servatoris noſtri Opt. Max. qui eo uſi perhibentur, docet SOCRATES. (cc) Inde non veſti modo, ſed diademati, Regum familiaris fuit, quod natura ferme inſtituit, ut album eſſet. Nam *in Regis apum fronte*, ut PLINIVS (dd) loquitur, *macula eſt, quodam diademate candicans*, et de baſiliſco, ſerpentum Rege, idem obſervat, quod *candida in capite macula, velut quodam diademate, inſignis* ſit. Nec Heroibus indignus habitus hic color, quo et a STATIO (ee) induitur Amphiaraeus:

Ipſe habitu niveus, nivei dant colla iugales,
Concolor eſt albis et caſſis et infula criſtis.

Eodem et apud Athenienſes et Plataeenſes utebantur Iudices, et Romae Conſules, Praetores, Aediles, Quaeſtores, ac demum Tribuni et Centuriones, ex quo tempore iis conceſſa fuit ab Auguſto praetexta et Senatoria dignitas; et, qui ſupremos honores petebant, candidati comparebant, ut ſe puros a ſordibus comitio-

M 2

(cc) *Hiſt. Eccl. L. VI Cap. 20.*
(dd) *L. XI Cap. 6.*
(ee) *Lib. VI Thebaid.*

mitiorum esse et ab omni ambitu, ea coloris innocentia testarentur. (ff) Vtque matronis olim, ita novis nuptis, inprimis fuit familiaris; quo spectat, ut vetera exempla praetermittamus, quod de CATHARINA, HENRICI VIII, Angliae Regis, sponsa, ARTVRI vidua, referunt, quae, ut se virginem testaretur, in ipsis HENRICI nuptiis candida veste induta comparuit. (gg) Taceo alia: infinita enim sunt, quae de huius coloris, non in vestibus modo, sed in templis, armis, tesseris gentilitiis, et similibus, usu proferri possent. Revertor potius ad ipsum Ordinem Aurei Velleris, qui nobis tanto magis suspiciendus ac venerabilis est, quod et ipsum *Potentissimum Regem ac Electorem nostrum, et Serenissimum Principem Regium, Patres Patriae longe clementissimos,* eo decoratos conspicimus. etc.

(ff) PETRA SANCTA *l. c. p.* 19.

(gg) BAKER'S *Chronicle of England p.* 254.

DIS-

DISSERTATIO XIX.
DE
IVRANDI, VEL PEIERANDI, FORMVLIS, QVIBVS ADSVEVERE OLIM SVMMI PRINCIPES.

CVm rarus ſit inter homines veritatis amor, fidesque, quae ſancta eſſe debebat, fluxa plerumque et lubrica deprehendatur, nullum publicae privataeque ſecuritatis inſtrumentum ac vinculum fortius exiſtimatum eſt, quam iusiurandum, quod ſacramentum, quaſi ſacra et incorrupta mente prolatum, non inepte dixere veteres. Duplex vero haud immerito conſtituimus iurisiurandi genus, ſolenne alterum, quod conceptis verbis coram magiſtratu, vel in foederibus firmandis, pactisve conſtituendis, adhibetur, alterum minus ſolenne, et fere proletarium, quo ſive in re vera, vel minimi momenti, ſive in falſa aſſerenda, frequentiſſime abuti conſueverunt miſeri mortales. Equidem noſtrum non eſt vel ea in utroque nunc excutere, quae moralitatis ratio, Principumve, aut Rerumpublicarum, leges, exigunt, a Iuris Naturae et Civilis Scriptoribus integris Commentariis illuſtrata, vel in antiquitatem ipſam excurrere, et, quae gentes, quas iurandi for-

mulas ac ritus admiſerint, fuſius ediſſerere; ne, ut paucos nominemus, ALEXANDRI AB ALEXANDRO, (a) BARNABAE BRISSONII, (b) IACOBI LYDII, (c) et Regiae in Gallia Numismatum ac Literarum elegantiorum Academiae, (d) ſcrinia compilaſſe videamur. Id agemus potius, ut iurandi, vel potius peierandi, formulas, quibus adſueviſſe ſummos Principes animadvertimus, e variarum gentium annalibus colligamus, quo id nos conſecuturos quodammodo ſperamus, ut de illorum ingenio, moribusque, ac familiari conſuetudine, quae parcius plerumque attingunt Hiſtorici, paullo rectius conſtet. Etenim, ut, praetermiſſis exemplis vetuſtioribus, ab Imperatoribus Romanis initium faciamus, exſtat AVGVSTI, Caeſaris, ad TIBERIVM Epiſtola, qua ille hunc ita inter alia alloquitur: *Vale. Iucundiſſime, et*, ITA SIM FELIX, *Vir fortiſſime. Vale.* (e) Nec inſuetas illo tempore fuiſſe ſimiles iurandi formulas, ut

(a) *Genial. dier. L. V Cap.* 10.
(b) *de Formul. L. VIII.*
(c) *Diſſ. de Iureiurando*, quae acceſſit eius *Syntagmati de re milit.*
(d) *Memoir. de Litter. T. I p.* 191, *T. IV p.* 1 *ſeq. ed. Par.*
(e) SVETONIVS in *Tiber. Cap.* 21.

ut *ita vivam, ita me Dii ament*, etc. docent eruditi. (f) Paulo atrocius videtur iusiurandum, quo usus TIBERIVS NERO, ubi scribit ad Senatum: DII ME DEÆQVE PEIVS PERDANT, QVAM QVOTIDIE PERIRE SENTIO, SI SCIO. (g) Vti vero Philosophi per Sectae suae caput iurare consueverant, (h) ita passim Romanis solenne fuisse, ut per nomina eorum, quos summo in honore habebant, iurarent, vel ipsis C. CALIGVLAE et TIB. CLAVDII, Imperatorum, exemplis patet, quorum ille post mortem nimium dilectae sororis, Drusillae, *nunquam, qualibuscunque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi* PER NOMEN DRVSSILLAE *deieravit*, (i) hic *iusiurandum neque sanctius sibi, neque crebrius, instituit, quam* PER AVGVSTVM. (h) Sed festinamus ad Principes Christianos, atque unicum ex Imperatoribus Orientis producimus MANVELEM COMMENVM, qui

(f) HANSEN *de Iureiur. vet. Cap.* 13, BRISSONIVS *de Form. l. c.* DOVZA et PASSERATIVS *in Propert. I*, 7, 3, VECHNERVS *Hellen. II*, 13, §. 3, SCHOTTVS *in Senec. Contr. III*, 16.

(g) SVETONIVS *l. c. Cap.* 67.

(h) LYDIVS *l. c. p.* 303.

(i) SVETONIVS *Calig. Cap.* 24; Conf. DIO *L.* 59.

(k) SVETONIVS *Claud. Cap.* 11.

PER CHRISTI SEPVLCRVM iurasse fertur. (l) Inter Germanos Imperatores OTTO M. et FRIDERICVS BARBAROSSA, quibus ingens in barba decus positum fuisse videtur, PER BARBAM suam iurare consueverunt, ille quidem hac formula: *Bi Otten Barde*, (m) hic vero ista: *Bi min rothen Barde.* (n) CONRADVS SALICVS vero PER S. CRVCEM DOMINI, (o) et VVILHELMVS, Rex Germaniae, PER VITAM DEI ET EQVITIS S. GEORGII, (p) iurasse feruntur. De CAROLO V etsi tradat Gallus quidam Autor parum certae fidei, quod, cum certo aliquid affirmare voluerit, dextram pectori imposuisse satis habuerit, (q) constat tamen aliorum testimoniis, eum PER FIDEM VIRI NOBILIS vulgo iurasse, (r) seu, ut

(l) NICETAS CHONIATES *Libro V in Manuali Comn.*

(m) GOBEL. PERSONA *Cosmodr. Cap.* 48.

(n) CRVSIVS in *Annal. Suev. P. II L. XI p.* 441.

(o) VVIPPO in *Vita Conr. Sal. ap.* PISTOR. *p.* 434.

(p) LEHMANN *Chron. Spir. p. m.* 602.

(q) VARILLAS *Vie de Franc. I. L.* 13, his verbis: *Charles V se contentoit pour assurer les choses de mettre la main sur l' estomach.*

(r) IO. ZAMOSCIVS in *Liter. ad Carolum Suderm. D. apud* THVAN. *L.* 127 *p.* 966, *et in* LVNIGII *Liter. Prec. Eur. T. I p.* 938.

ut Galli contendunt: FOY D' HOMME DE BIEN. (s) Simili, vel eadem, iurandi formula usum fuisse aequalem CAROLI, FRANCISCVM I, Galliae Regem, nempe FOY DE GENTILHOMME, sunt, qui testantur. (t) Vt vero ad Galliae Reges simul transeamus, PHILIPPVS AVGVSTVS PER SANCTOS FRANCIAE, (u) LVDOVICVS XI PAQVE DIEV, i. e. *per pascha Domini*, CAROLVS VIII PAR LE IOVR DIEV, i. e. *per diem Dominicam*, LVDOVICVS XII LE DIABLE M'EMPORTE, i. e. *Diabolus me perdat*, iurasse memorantur. (vv) Vti

(s) Ita et, SANDOVALLIVM secutus, expressit LA MOTHE LE VAYER *Disc. de l' Hist. Oeuvr. T. II p.* 241, qui non sine causa hac asseveratione usum putat CAROLVM, scilicet quod non ignoraret, viri dextri ac probi promissa maiorem fidem invenire, quam Imperatoris.

(t) VARILLAS *l. c.* et VIGNEVL-MARVILLE *Mel. Hist. T. II p.* 167.

(u) MATTH. PARIS *ad A.* 1208.

(vv) De his VIGNEVL-MARVILLE *l. c.* ubi et Ducum quorundam bellicorum peierationes commemorat, his verbis: *Dans le siecle dernier c' etoit la mode à la cour de iurer. Mr. de la Tremouille Grand-Capitain iuroit* le vray corps Dieu, *le Chavalier Bayard,* Faite Dieu Bayard, *Mr. de Bourbon,* Sainte Barbe, *le Prince d' Orange,* S. Nicolas, *la Roche du Maine,* Téte Dieu toute pleine de Reliques.

Vti vero, Catharina Medicea res Gallorum moderante, Itali, in aula Gallica frequentes, peierandi et blasphemandi artes damnatas Gallis instillasse creduntur, ita nemo CAROLVM IX ea in re superavit, qui, etsi esset natura integer moribus et apertus, ita tamen paulatim, praeeunte ALBERTO GONDIO Mareschallo DE RETZ, Florentino, periuriis blasphemiisque adsuetus fuit, ut non sine summi Numinis vindicta factum quidam existiment, quod praepostera morte decesserit. (x) Hoc paulo modestior HENRICVS III PER MEAM FIDEM iurare satis habuit. (y) At HENRICVS IV continuo in ore habebat illud: VENTRE DE S. GRIS, i. e. *per ventrem S. Grisii*, quem Sanctum cum frustra in Martyrologiis quaeri constet, facile fidem habemus iis, qui, HENRICVM puerum ita a praeceptoribus suis institutum fuisse, perhibent, ut huic formulae, quae erat re vera nullius ponderis, adsuetus, a blasphemandi libidine avocaretur. (z) LVDOVICVM vero XIII nunquam peie-

(x) BRANTOME *Mem. de Grands Capit. de Fr. T. IV p.* 6, 7, 24. *Conf.* MARVILLE *l. c.*

(y) PIASECIVS in *Chron. p. m.* 43.

(z) DE L'ETOILE *Mem. pour servir à l'Hist. de Fr. T. II p.* 15 *et* 17, *et* VIGNEVL-MARVILLE *l. c.*

peieraſſe, et eius ſucceſſorem, LVDOVICVM XIV, tantum abſuiſſe ab illa levitate ferunt, ut peierationes omnes et blaſphemias ex aula prorſus eiecerit. (aa) Pergimus ad Anglos, qui, uti omnium fere gentium in comminiſcendis exſecrationum formulis ingenioſiſſimi perhibentur, (bb) ita Regum quoque peierantium exempla plurima nobis ſuppeditant. Vt ab ipſo VVILHELMO Conquaeſtore ordiamur, tradunt Autores, eum vulgo *per ſplendorem et reſurrectionem Dei*, BY GOD'S RESVRRECTION AND HIS BRIGHTNES, iurare conſueviſſe. (cc) VVILHELMVM II, ſeu Rufum, PER VVLTVM DE LVCA frequentius iuraſſe conſtat, (dd) quam iuran-

(aa) VIGNEVL-MARVILLE *l. c. p.* 168.

(bb) Spectat huc utique domeſticum teſtimonium IAC. HOELII, qui ita in *Famil. Lettr. Sect.* 5 *p.* 15 differit: *This infandous cuſtom of ſvvearing i obſerve raignes in England more then any vvhere els, though the German in his higheſt puff of Paſſion ſvvears by a hundert thouſand Sacraments, the Italian by the vv - re of God, the French by his Death, the Spaniards by his Fleſch, the VVelshman by his Svvet, the Irishman by his five VVounds, though the Scot commonly bids the Devill hale his Soul, yet for variety of Oats the English Roarers put dovvn all.*

(cc) R. BAKER *Chronicle of England p.* 30.

(dd) GVILIELMVS MALMESB. *L. IV,* it.

iurandi formulam inter eas referunt, quae per sacra et reliquias Sanctorum, quas inter vultum quoque Christi a Luca pictore depictum fuisse memorant, fieri consuevere. (ee) Cuius Frater, ROBERTVS, Normanniae Dux, PER ANGELOS DEI iuravit. (ff) STEPHANVS PER DEI NATIVITATEM, (gg) HENRICVS II PER OCVLOS DEI, (hh) IOANNES nunc PER DENTES DEI, nunc PER PEDES DEI, (ii) EDVARDVS I PER DEVM, (kk) RICHARDVS II PER IOANNEM BAPTISTAM, (ll) EDVARDVS IV PER DEI SACRAM VIRGINEM, (mm) et RICHARDVS III *per conscientiam*, ON MY CONSCIENCE, (nn) iurasse memorantur. De ELI-

Anon. Contin. Chron. ALBERICI *Monachi ad A.* 1093, in MS.

(ee) LYDIVS *L. V p.* 307.

(ff) GVIL. GEMMETIC *Hist. Norm. L.* 8 *Cap.* 2.

(gg) TYRRELL *Hist. of Engl. T. II p.* 216, it. *Compleat Hist. of Engl. T. I p.* 126 *in not.*

(hh) TYRRELL *l. c. p.* 311.

(ii) MATTH PARIS *ad A.* 1208, BAKER *l. c. p.* 70.

(kk) *History of Man p.* 131.

(ll) BAKER *p.* 147.

(mm) Id. *p.* 206.

(nn) *Compl. Hist. of Engl. T. I p.* 179 *not.* et BAKER *p.* 223.

ELISABETHA, Regina, relatum accepimus, eam ſape Gallicis verbis, ſed illepida pronuntiatione, iuraſſe: PAAR DIEV, PAAR MAA FOY, quam pronuntiationem cum traduxiſſe per ſatyram BVZANVALIVM, Gallorum quondam rem in aula Anglica agentem, comperiſſet Regina, ita ea res animum illius (ut erat non iniqua ſui aeſtimatrix) commovit, ut non BVZANVALIO modo, verum et ipſi Proteſtantium cauſae, maximo propemodum fuerit praeiudicio. Inprimis vero inter Reges Anglos ob peierandi levitatem notatus fuit IACOBVS I, (pp) qui, praeter complures

(oo) AVBERY DV MAVRIER *Mem. pour ſervir à l' Hiſt. de Holl. p.* 213.

(pp) Lubet hic referre, quod de eo obſervavit elegantiſſimus Anglorum Hiſtoricus, LAVR. ECHARD, in *Hiſt. of England T. I p.* 966. Nimirum, cum pacta matrimonialia inter CAROLVM, filium, et Principem Hiſpanicam, iam ſignata, et ab ipſo Rege et Principe iureiurando ſolenni confirmata, accepiſſet, adeo de ea re perſuaſus ſibi videbatur, ut in haec coram Miniſtris quibusdam verba erumperet: *Novv all the Devils in Hell can not break the Mariage*, i. e. Iam omnes, quotquot ſunt in inferno, Diaboli matrimonium ſolvere haud valent; quibus auditis, quidam adſtantium lepide inſuſurrabat: *There vvas never a Devil left in the Hell, for they vvere all gone into Spain, to make it up*, i. e. nullus nunc Diabolorum in inferno reſidet:

res alias, has inprimis formulas, quas vernacula, hoc est, Scotica, dialecto proferebat, ON MY SO'L AND SVVOVNDS MAN, frequentissime adhibebat. (qq) Et hoc Regis exemplum tantae fuisse aiunt autoritatis apud Anglos, ut ex eo inprimis tempore nullum fecerint peierandi modum. (rr) Vt ceteros ceterarum gentium Reges praetermittamus, tacere non possumus POPIELVM, Poloniae sive Regem, sive Ducem, quem se suosque saepe muribus devovisse, et, quoties aliquid affirmare vellet, ITA ME GLIRES DEVORENT, exclamasse, atque ita votum tandem insanum in filio POPIELO II et nepotibus impletum esse, Scriptores huius gentis plerique omnes testantur. (ss) E Ducibus insuper unum nominamus HENRICVM, qui primus Ducis axioma in familiam Austriacam intulit A. 1156, nobilissimi Historici, OTTONIS FRISINGENSIS, fratrem, qui, cum identidem dictis suis fidem facturus,

omnes enim ad unum in Hispaniam profecti sunt, ad illud conciliandum.

(qq) *Baconiana pag.* 55 *et* 56, et COKES *Detection of the Court and State of England p.* 62.

(rr) COKE *l. c. p.* 151.

(ss) CROMERVS *Hist. Pol. L.* 2 *p.* 26, HERBVRTVS DE FVLSTIN *l. l.* CONNOR *Hist. Pol. p.* 21, alii.

ɛturus, hac formula, paulum detorta, IASAMMERGOTT, quaſi diceret, *ita me Deus adiuvet*, uteretur, nomen vulgo nactus eſt HENRICI IASAMMERGOTT. (tt) Iam ab his ſaltum facturo ad actum, quem paramus, philoſophicum, Philoſophorum quoque veterum iurandi formulas ſingulares ediſſerere proclive eſſet, ut SOCRATIS, qui, ut abſurdos Athenienſium Deos rideret, non modo PER HIRCVM et ANSEREM, ſed et frequentius PER CANEM iuravit (unde, cum cani raro conveniat cum fele, Italus quidam, Xantippen contra iuraſſe PER FELEM, haud abſurde finxit,); (uu) Socraticorum, qui per ipſum SOCRATEM (vvvv) PYTHAGORAE, qui PER AQVAM ET AEREM, (xx) eiusque diſcipulorum, qui PER QVATERNIONEM Magiſtri ſui, quo *Mentem*, *Scientiam*, *Opinionem*, et *Senſus*, referebant, (yy) et ZENONIS CITTIAEI, qui PER CAPPARIM iurabat; qua voce hodieque Itali, ceu interiectione quadam, utuntur. (zz) Sed

(tt) ZEILLERVS in *Itin. Germ. p.* 157, et alii.
(uu) MENAGIVS *Obſervat. in Diog. Laert. T. II p.* 93.
(vvvv) ALEX. AB ALEXANDRO *L. V Cap.* 10.
(xx) MONTAGNE *Eſſais L. XIII p.* 886.
(yy) ALEX. AB ALEXANDRO *l. c.* et LYDIVS *de Iur. p.* 302 *ſeq.*

(zz) Sed ad rem ipſam accedimus, producimusque Iuvenes Studioſos numero triginta, de quibus PER APOLLINEM ET NOVEM MVSAS aſſeverare poſſumus, eos in elegantiori literatura ac Philoſophia ſobria diligentiam ſtudiumque ſuum, inſtituto rite examine, nobis abunde probaſſe.

DISSERTATIO XX.

SISTENS PSEVDOPRINCIPVM EXEMPLA EX VETERIS ET RECENTIORIS AEVI HISTORIA.

RElatum nuper accepimus e Suecia, inventum fuiſſe emotae mentis hominem, qui, antehac arti aurariae deditus, poſt exercitum ductoris ſecundarii nomine ſecutus eſt, BENIAMINVM DVISTERVM, ſeu DVISTERSTIERNAM, quo nomine ipſe olim vocari maluit, qui perſonam Regis glorioſiſſimi, CAROLI XII, mentiri auſus eſſet; nec defuiſſe homines nimium credulos, vel lucri cupidos, qui, impoſtori fidem habentes, Dalekar-

(zz) ATHENAEVS *L. IX Cap. II*, et MONTAGNE *l. c.*

lekarlis, emissis literis clandestinis, pro Rege alium, qui eum facie referret, caesum, ipsum vero variis fatis iactatum, in patriam tandem rediisse, persuaderent. Sed, re comperta, comprehensus homo miser, et Vpsaliam, ac mox Holmiam, deductus, publicoque fatuorum ergastulo mancipatus; ceteri vero, qui eum secuti fuerant, capite damnati, eoque supplicio, singulari Regis Potentissimi, FRIDERICI, gratia, remisso, credulitatem fustigatione luere coacti sunt. Haec cum legerem, illico in animum revocavi exempla aliorum Pseudo-Principum, superiorum Seculorum memoria celebratorum, quos, operae pretium puto, breviter, pro instituti ratione, percensere. Vt vero praetermittamus vetustissima illa Pseudo-Alexandri, Pseudo-Philipporum, Pseudo-Smerdis, Pseudo-Antiochi, Pseudo-Ariarathis, Cappadocum regnum affectantis, Pseudo-Posthumi Agrippae, Pseudo-Neronis, Pseudo-Drusi, aliorumque, de quibus multa passim apud Autores (a) invenias, illustriora profecto sunt Pseudo-Sebastianorum apud Lusi-

(a) Vide inter alios DION. CASS. *L.* 58 et 72, VALER. MAX. *L. IX Cap.* 14 et 15, FORSTNERVM in *Not. ad* TAC. *L. V p.* 673, P. GREG. TOLOSANVM *de Rep. L. VII Cap.* 18, ZEILLERVM *Epist.* 45, MANLIVM *rer. Lusat. L. V Cap.* 19,

tanos, et Pseudo-Demetriorum apud Russos, exempla, quam ut taceri penitus hoc loco possint; de quibus dubium quidem nonnullis visum est, utrum genuini Principes fuerint, an impostores; quandoquidem, si illi, Hispani tamen et Mosci, cur reiicerent, si hi, Lusitani et Poloni, cur tutarentur, et pro veris agnoscerent, caussas utique habebant praegnantissimas. Nam, ut de SEBASTIANO primum dicamus, quem alii digno temeritate sua exitu in tristi illa in Africa clade A. 1578 periisse, eiusque corpus, quamvis ita vulneribus deformatum, ut aegre dignosci posset, multis nummorum millibus redemptum a PHILIPPO II, Septae in Ecclesia primaria conditum, alii miris viginti annorum iactatum fatis, et nunc in monasterio Algarbiae, nunc in desertis Aethiopiae locis latentem, salvum tandem A. 1598 in Europam rediisse, primumque in Siciliae littora eiectum, mox Venetias delatum, contendunt. Etsi vero is oris totiusque corporis, laeva parte brevioris, similitudinem, in supercilio dextro cicatricem, ex vulnere ab infantia notabilem, verrucam denique in imo pedis articulo, haud multum digito minorem, ostenderet, quae omnia ante in vero SE-

BA-

et inprimis D. Io. SCHMIDIVM in *Diss. de Pseudo-Principibus.*

BASTIANO obſervata, authenticis teſtimoniis confirmatum fuerat: praeterea ad quaeſita apte ac graviter reſponderet, et, quae antea inter ipſum et Legatos Hiſpanicos, Comitem de Lemos, et Ducem de Medina Sidonia, huiusque Coniugem, acta fuiſſent, quaeque, praeter ipſos et SEBASTIANVM, nemo ſcire poterat, exactiſſime haberet perſpecta; pulſus nihilominus a Venetis, Hiſpanorum iram metuentibus, et a FRANCISCO, Magno Duce Hetruriae, poſtulante PHILIPPO II, Hiſp. Rege, Hiſpanis traditus, et Neapolin abductus, ad tranſtra damnatus, demum miſſus in Hiſpaniam, aeternoque carceri mancipatus, anno demum 1610 moerore et inedia periit. (b) Sed, praeter hunc, quem Calabrum vulgo vocant, tres alii memorantur Pſeudo-Sebaſtiani, vel rerum novarum ſtudio, vel odio Luſitanorum in Hiſpanos, excitati; quorum primus Carmelita, qui verum nomen perpetuo celavit, A. 1585 remis admotus, alter, GONSALVVS ALVAREZ, Eremita, haud diu poſt e furca ſuſpenſus, tertius GABRIEL DE ESPINOSA, piſtor Madrigalenſis, qui aliquamdiu ſub

(b) Vide omnino Io. MERKENII *Trauer-Schaubühne p.* 483 *ſeq.* Conf. THVAN. *L.* 126 et A. MAVROC. *Hiſt. Ven. L.* 16. et I. A. TENNEVRII *Veritas vind. adv. Chiffl. P. I p.* 64.

ſignis Luſitanorum meruerat, et a MICHAELE A SANCTIS, Presbytero Luſitano, qui, SEBASTIANO, Regi, fuerat a concionibus, inſtigatus, Regemque illum impudentiſſime referens, ad patibulum tandem A. 1595 raptus, corpusque eius in quatuor partes diſſectum, et caput haſtili praefixum eſt. (c) Quamvis ne ſic quidem ſpem omnem recuperandi SEBASTIANI amiſerint Luſitani, qui in IOANNE GAVERELLO, nobili Belga, iter illuc A. 1633 faciente, levibus rationibus ducti, eum agnoviſſe ſibi viſi ſunt. (d) De DEMETRIIS quoque pauca et quaſi in tranſcurſu referre non pigebit. Reliquerat IOANNES BASILIVS, Dux Moſcoviae, duos filios, THEODORVM, qui, iam adultus, ſed infirma valetudine, Patri ſuccedens, imperii curas Stabuli Praefecto, BORIS GVDENOVV, permittebat, et DEMETRIVM, infantem, a BASILIO in ultima ſenectute ſuſceptum, quem mater in propinquo quodam caſtro, Vgleca dicto, educabat. Hunc puerum novennem BORIS ille, THEODORO iam morti propinquo, per ſicarios interemerat, illoque A. 1597 mortuo, imperii habenas ad ſe trahebat: quas tamen paucis annis geſſit, A. 1605 ſu-

(c) De his fuſius egit CHIFFLETIVS in *Tenneurio expenſo Cap. 7 et 8.*

(d) CHIFFLETIVS *l. c. Cap. 9.*

ſubita morte ereptus. Interea iuvenis quidam, cuius verum nomen GRISKA VTRAPEIA, re cum callidiſſimo quodam monacho deliberata, tractisque in rem ſuam aliquot Poloniae Proceribus, DEMETRIVM mentitus, eo rem deduxit, ut rerum ſummam obtineret apud Ruſſos, quorum tamen mox odium provocans, ipſo nuptiarum, quas cum Palatini Sendomirienſis filia, MARINA GORGONA, celebrabat, die, miſere dilaniatus eſt A. 1606. (e) Sed non defuit alter, qui alium ſui loco trucidatum, ſeque verum DEMETRIVM oſtenderet, a ſponſa quoque Polonica agnitus et receptus, quem, IOANNEM dictum, in Polonia ludimagiſtrum egiſſe, affirmant, poſt multa cum Moſcis praelia, et infelicem Moſcuae obſidionem, a Tartaris occiſum. Mox tamen et tertius DEMETRIVS, ignotis natalibus homo, in Occidentali Ruſſia fautores reperit, qui quidem, cum Pleſcovia eiectus, equum conſcenderet, haſta confoſſus, periit. Et ne tum quidem finita tragoedia: quandoquidem et ſub MICHAELE novus impoſtor, qui ſe DEMETRII ex MARINA filium iactabat, et, hoc iuſſu MICHAELIS palo affixo, rurſus alius,

(e) PIASECIVS in Chron. *ad h. a.* et OLEARIVS *Itin. Ruſſ. L. 3 p. 230 ſeq.*

qui eundem referebat, et nomen DEMETRII a matre tergo inſcriptum monſtrabat, ſub initium imperii ALEXII nonnihil Ruſſiam turbabat, qui demum ab Holſatis, ad quos ſe receperat, ALEXIO traditus, et capite truncatus, membris quoque in partes diſſectis, A. 1653 finem memorabili tragoediae impoſuit. (f) Sed nec Germania noſtra vacavit impoſtoribus; quos inter primum producimus Pſeudo-FRIDERICVM II; Imperatorem. Nam, ut taceamus, decem poſt FRIDERICI mortem annis, quendam in Italiam magno cum exercitu veniſſe, qui ſe pro illo gereret, et MANFREDVM, Apuliae Principem; ſtrenue perſequeretur, (g) tcuius temeritatis quis exitus fuerit, non memorant Autores; notum eſt, diu poſt, ſub RVDOLPHO Habspurgico, fabrum quendam ſatis provectae aetatis, quem quidam FRIDERICVM HOLZSCHVCH, plerique TILE KOLVP, vocatum ferunt, Coloniae primum, mox Noveſii, ac poſtremo VVezlariae, FRIDERICI perſonam induentem, non paucos inveniſſe inter ipſos Principes et Comites fautores, qui vel renitentem, ob

(f) REVTENFELS *de rebus Moſchovit. L.* 1 *Cap.* 14.

(g) IO. VITO-DVRANVS *Chron.* in LEIBNITII *Acceſſ. p.* 19.

ob ſingularem faciei et morum ſimilitudinem, pro Imperatore venerarentur: parumque abfuiſſe, quin Duces Brunſuicenſes et Marchiones Miſniae, e filiabus FRIDERICI II procreati, partes eius amplecterentur, qui nec muneribus eum proſequi dedignati ſunt. Vtrum illi ad conciliandos tot hominum animos plus profuerit, quod iuvenis in aula FRIDERICI verſatus, et quorundam arcanorum particeps factus fuiſſet, an quod magicis artibus uſus eſſet, in medio relinquimus. Magiae convictum, vel certe accuſatum, fuiſſe, illud nobis indicio eſt, quod RVDOLPHO a VVezlarienſibus traditus, vivicumburio damnatus, A. 1285 periit. (h) Ceterum PEVCERVS, (i) neſcio quo autore, hunc eundem non pro FRIDERICO, Imperatore, ſed pro FRIDERICO, Auſtriae Duce, qui cum CONRADINO A. 1268 capite truncatus Neapoli, ſe venditaſſe, affirmat. Quo loco non poſſumus praetermittere, quod AVENTINVS (k) narrat, nimirum reliquias exercitus hu-

(h) VITO-DVRAN. *l. c. p.* 25, ALB. ARGENTIN. ap. VRSTIS. *P. II p.* 104, AVENTIN. *Ann. Boi. L.* 7 *Cap.* 10, SPANGENB. Chron. *Mansf. Cap.* 267, et FVGGER. *Spec. Auſtr. L. I Cap.* 14.

(i) in *Chron. L. V p.* 550.

(k) *Annal. Boi. L. VII Cap.* 8 §. 25.

huius CONRADINI in Italia in Regem fecisse fabrum quendam Herbipolensem, CONRADVM STICHVM, Regi facie non absimilem, etsi plurimum renitentem; eundem Germanos milites, transitu per Italiam vi patefacto, in patriam reduxisse, sed, quam primum in Germaniam perventum esset, haud tutam amplius regii nominis usurpationem ratum, clam se ab exercitu subduxisse, et post octo menses Herbipolin ad incudem rediisse. Quo loco addit idem Autor, sua memoria, MARTINVM SMIDIVM, Oenipontanum, MAXIMILIANI Imp. auxilio ad Regnum Angliae adspirasse. Nemo vero magis Germaniam, et speciatim Marchiam, turbavit Pseudo-VVALDEMARO, vero nomine IACOBO REBACHO, quem et MEINHARDVM quidam vocant, molitore Hundelustensi apud Servestam, qui, VVALDEMARO defuncto aetate, statura, moribus, ac voce, simillimus, cum annuli signatorii, quo ille usus fuerat, indicio, et variis persuasionibus, Magdeburgensi primum Antistiti se probasset, audacius a LVDOVICO Seniore, LVDOVICI Bavari, Imperatoris, a quo Electoratum Brandenburgicum acceperat, filio, ditiones repetebat, moxque a RVDOLPHO, Saxone, et Anhaltinis, qui sanguine VVALDEMARO proximi, sibi praereptam a LVDOVICO haere-

re-

reditatem indignabantur, immo ipſo CAROLO IV, Imperatore, odio in patrem LVDOVICI adhuc flagrante, qui et VVALDEMARO feudum Marchiae et Electoratus denuo contulit, et Saxoni Anhaltinisque ius ſucceſſionis confirmavit VVittebergae, tum et aliis, Megalopolenſibus inprimis et Pomeranis, adiutus, plerasque Marchiae urbes novennali bello ad obſequium redigebat. At, detecta tandem fraude, et LVDOVICO paulatim Imperatori, CAROLO IV, reconciliato, e Marchia pulſus, et ſive Deſſavi, quo aulam tranſtulerat, ſive alibi, in exilio mortuus eſt. (l) Referri huc etiam poteſt, quod de ſpectatae formae iuvene narratur, qui A. 1502 Erfurtum delatus, cum ſe e Comitibus Hennebergicis prognatum praedicaret, non modo a Senatu urbis magno honore affectus, verum et ab ipſa Academia ad ſplendidiſſimum Rectoris munus evectus eſt, moxque, fraude detecta, clam ſe ſubduxit: eundem enim carnificem re vera fuiſſe, compertum erat. (m) Poſtremum e multis producamus BALDVI-

NVM

(l) MANLIVS *rer. Luſat. L. V Cap.* 17, 18, et 21, ubi ſimul ſpiſſam Autorum, qui de VVALDEMARO hoc ſcripſerunt, nubem adducit. Conf. BVDDEVS in *Parerg. Hiſt. Theol. p.* 224 *ſeq.*

(m) SPANGENBERGIVS in *Chron. Henneberg. L. V Cap.* 44 *p.* 248.

NVM, Flandriae Comitem, et post res in Oriente prospere gestas Imperatorem Constantinopolitanum, qui tamen haud diu felicitati suae superstes, in infelici ad Adrianopolin pugna A. 1205 sive occisus, sive captus, et clam decollatus, nusquam amplius comparuit. Prodiit tamen, velut ex eremo, viginti post annis Gallus quidam, BERTRANDVS, Remensis, humili loco natus, qui, cum BALDVINVM vultu plane referret, facile sibi persuaderi passus est, ut a plebe, rerum novarum studiosa, ad imperium eveheretur. Et iam aliquot menses habenas secure tenebat, IOANNA, BALDVINI filia, et paternarum ditionum herede, pulsa, nec ipsi Galliae Regi, LVDOVICO VIII, se sistere, accepta fide, dubitabat, cum, nodis quibusdam, qui proponebantur, non satis expedite solutis, dimissus tamen, et in Flandriam reversus, captus est, et ad IOANNAM missus, quae eum sibi non donatum, sed magno pretio venditum, cruci affixit. (n) Sed satis de his impostoribus, de quibus agere paucis, arrepta ex tempore occasione, lubuit: nunc ad rem. Enimvero est et honesta quaedam et laudabilis filiorum et nepotum parentes atque

(n) IAC. MEYERI *Annal. rer. Flandr. Lib. VIII,* BVSSIER. *Hist. Gall. T. II p.* 115, TYRRELL *Hist. of Engl. T. II p.* 858.

que avos ſuos referendi, et quodammodo in vitam reducendi, ratio: cumque fortes creentur fortibus et bonis, quid mirum, ſi AMYNTAM filius PHILIPPVS, PHILIPPVM patrem ALEXANDER M. non modo reddiderit, verum etiam ſuperaverit? Celeberrimum eſt inter noſtrae Eccleſiae Theologos MARTINI GEIERI, viri incomparabilis, nomen: ſed non ſatis erat, tantum virum in ſcriptis eſſe ſuperſtitem, niſi et filius unicus, cuius memoria nobis nunc recolenda eſt, cum doctrina non poſſet, in medio quippe ſtudiorum curſu rebus mortalibus ereptus, beneficentia et liberalitate in Iuvenes ſtudioſos, et Nepos e filia, fulgidiſſimum hodie Academiae noſtrae et Eccleſiae decus, CHRIST. FRID. BOERNERVS, vita pariter et doctrina eum redderet. etc.

DISSERTATIO XXI.
DE
EMINENTIA COMITVM SOLMENSIVM INTER S. R. IMPERII COMITES, ET DE VITA GVSTAVI FERDINANDI S.R.I. COMITIS DE SOLMS.

QVantum inter S. R. Imperii Comites emineat vetuſtiſſima ſplendidiſſimaque

que Comitum SOLMENSIVM domus, tot Principibus Regibusque ſanguine iuncta, nemo ignorat vel leviter in Hiſtoria verſatus. Etenim e Naſſovia gente oriunda, (a) variis ramis, quos ordine enumerare ſupervacaneum ducimus, diffunditur, ita tamen, ut, novis ſubinde acceſſionibus factis, nihil hactenus decori ac ſplendori gentis deceſſerit. Multos vero inprimis in toga et ſago Heroas dedit, quorum e ſingulis ſtirpibus aliquot tantum exempla producere, ab hoc loco minime putamus alienum. Notus e ſtirpe BRAVNFELSENSI IO. ALBERTVS Magnus, Aulae Palatinae Magiſter, a Foederatis Belgis poſtea Vltraiecto, tum Traiecto ſuperiori, praefectus, prudentia et fortitudine conſpicuus, qui ſua autoritate effecit, ut, quae in turbis Palatinis amiſerat bona, in ipſo Inſtrumento Pacis Osnabrugenſis Art. IV §. 32, 33 et 35, ſibi reſtituerentur, iterum-

(a) Vt taceamus omnium Genealogorum conſenſum, qui ab EBERHARDO, Naſſoviae Comite, Illuſtriſſ. Comitum SOLMENSIVM proſapiam deducunt, vel illud hodie quoque certiſſimum cognationis indicium eſt, quod, quemadmodum Naſſovii in parma coerulea Leonem aureum monſtrabant, ita contra Solmenſes in area aurea Leonem coeruleum oſtendunt. Vid. SPENERVS in *Oper. Herald. Parte Spec. L. II Cap.* 89.

rumque in Recessu Imp. Ratisb. de A. 1654 solenni formula assererentur. Nec omittenda soror illius, AMALIA, quae, FRIDERICO HENRICO, Principi Arausionensi, nupta, mater VVILHELMI II, et avia exstitit Gloriosissimi Britonum Regis, VVILHELMI III. Inprimis vero filius IO. ALBERTI, HENRICVS, a Commendatura Ballaviae Vltraiectinae ordinis equestris Germani, quam sustinebat, Traiectinus vulgo dictus, qui, Locumtenentis generalis in exercitu VVILHELMI III in Belgio, et praefecti Neomagensis, munere defunctus, cum A. 1693 in cruento ad Thienen praelio lethale vulnus accepisset, sequenti die vitam pariter et BRAVNFELSENSEM stirpem finivit. E LICHENSI gente memorabilis inprimis PHILIPPVS fuit, cuius consiliis multum tribuebat FRIDERICVS SAPIENS, Saxoniae Elector. Nam, cum hic, in Imperatorem electus, ea de re consultaret cum PHILIPPO, duo ad dignitatem hanc tuendam requiri asserebat PHILIPPVS, sapientiam in rebus tanti momenti regendis, ac severitatem et pondus in statuendis poenis, addebatque, illam quidem in Electore minime desiderari, at, utrum sat ipsi virium futurum sit ad sustinendum tam grave onus, se nondum satis habere exploratum.

tum. Quibus verbis effecit, ut Elector, siue illis adductus, siue confirmatus, Imperium modestissime recusaret. Nec minori apud ipsum CAROLVM V gratia floruit, qui eum, comprehensa gratiosissime ipsius dextra, his aliquando verbis compellasse fertur: *Ach! mein alter Gesell und Rüstmeister, ach! mein Vater.* Ex eadem stirpe illustris fuit REINHARDVS, qui, cum CAROLO V magna cum laude militasset, de rebus bellicis et Nobilitatis origine libros non inelegantes vernaculo sermone conscripsit. Inter LAVBACENSES claruit inprimis FRIDERICVS, qui Electoribus Saxoniae, MAVRITIO et AVGVSTO, propter sapientiam, virtutem, integritatem, fidem, et usum, oppido gratus, rebus sub iis fortiter gestis MAGNI cognomen meruit. SONNEVVALDENSIS rami sator, HENRICVS VVILHELMVS, phalangis Suecicae ductor, tanta apud Regem GVSTAVVM ADOLPHVM gratia florebat, ut eius autoritate Comitatum Schvvarzenbergicum et Praefecturam Landsbergicam obtineret, demum A. 1632 in conflictu cum TILLIO ad Bambergam vulneratus ac caesus. E VVILDENFELSENSIBVS pietate inprimis eminet IOANNES FRIDERICVS, cuius Symbolum memoratur:

Spes

Spes mea in Deo. Erat is verbi divini ſtudioſiſſimus, adeo, ut ipſe omnia Miniſtri Eccleſiae, quem conſtanter audiebat, verba calamo exciperet, et morti vicinus nihil omitteret, quod ad curam animae pertineret, filiumque natu maiorem, impoſita capiti dextra, his fere verbis compellaret: *Deus Tibi vires ſuas largiatur! Ego, quae mearum fuere partium, praeſtiti. Concordate animis, et ita de divina benedictione certi eritis.* Atque id quoque ſingulare fuit, quod, cum poſtremo ante obitum die horologium pro more diduxiſſet, praedixiſſetque, ſe nunquam poſthac idem facturum, eodem momento, quo animam efflavit, horologium iſtud ſubito a curſu ceſſavit. Sed quis omnia virtutum exempla enumeraverit, quorum plena plauſtra produxere Autores, qui de inclyta SOLMENSIVM Comitum gente curatius commentati ſunt. (b) Nec ita

(b) Praeter HIER. HENNINGES, REVSNERVM, DIEPHOLDVM, IMHOFIVM, SPENERVM, PECCENSTEINIVM, DILLICHIVM, aliosque, quos nuper Cl. LVNIGIVS noſter in *Theſauro Iuris derer Grafen und Herrn des H. R. Reichs* congeſſit, ubi vide *p.* 68, 218, 305 *et* 808, conferri etiam merentur, quae obſervavit BENIAMIN LEVBERVS IC. in *Catalogo familiarum Comitum et Baronum Germaniae plus*

ita longe arcessenda sunt, cum recens nobis, quamvis luctuosum, pietatis, industriae, ac patientiae, exemplum luculentissimum praebeat e SONNEVVALDENSIVM gente *Illustrissimus Dominus*, GVSTAVVS FERDINANDVS, *Comes de Solms et Tecklenburg, Dynasta in Münzenberg, VVildenfels, Sonnenvvalda, Baruth et Pouch*, Iuvenis egregius, omnibusque, quas aetas fert, virtutibus instructissimus. Is Parentibus Illustrissimis, Domino OTTONE HENRICO, Comite de Solms et Tecklenburg etc. etc. qui iam pridem coelestem animam coelo reddidit, et Domina CHARLOTTA SOPHIA, e vetustissima GROSIGKIORVM gente, hodieque per Dei Gratiam superstite, natus est A. MDCCVIII die XXIIX Maii. Cum nondum ex ephebis egressus Patrem optimum amisisset, solicite curavit Mater pientissima, ne quid in educando puero desideraretur, cumque bonis

quam MD, Opere hactenus inedito, quod in Bibliotheca nostra asservatur. Speciatim vero huc spectant ALBERTI OTTONIS BILGENII *Genealogia Comitum Solmensium*, Latine Giessae A. 1621, et Germanice Francof. A. 1622 edita, et CHRISTOPH. HENRICI ZEIBICH, Theologi hodie celeberrimi, *Genealogische Tabellen über das Vralte Reichs-Graefliche Haus zu Solms*, Berol. 1709.

bonis literis, quae ad humanitatem ducunt, iam satis videretur instructus, optimae spei filium in Athenas nostras Lipsienses, quas noverat non literarum modo, sed et morum elegantiorum, principem officinam ac sedem, Ephoro Viro Cl. M. ANDREA FLORENTE RIVINO, dimisit, die XXIX Martii anni MDCCXXIV Albo Academiae insertum. Nec diu latuit generosa indoles, quandoquidem nihil hic omisit eorum, quae vel ad pascendum animum, vel ad corpus exercitandum, pertinent. Quo rectius vero Reipublicae utilitatem aliquando promoveret, Historiam ante omnia sibi reddidit familiarem, eoque usus est in Notitia Statuum Europae meis ipsius, et sigillatim in Historia Imperii Rom. Germ. ut et Iure Publico Germaniae IO. IAC. MASCOVII, I. V. D. et Senatoris gravissimi, scholis privatis: neque minus diligenter Genealogiae, Geographiae, Heraldicae, Philosophiae, Mathesi, et linguis exoticis, operam dedit, praestantissimos in cunctis duces secutus. Enimvero, dum acriter in stadio curreret, totusque in eo esset, ut sibi compararet illa, quibus divini nominis gloria, salusque pa-

triae, et gentis illuſtriſſimae decus, promoveretur, ſubito eum corripuit febris catarrhalis, die XXVII Iunii anni MDCCXXV ingruens, quam etſi Medicus expertiſſimus feliciter poſt trium hebdomadum ſpatium coercuiſſet, recurrit tamen idem morbus Calendis Septembr. cum graviſſimo dentium dolore, quem aſthma ſpaſticum excipiebat. Nihil hic rurſus in ſe deſiderari paſſus eſt Medicus, iamque ceſſabat per aliquot dies paroxiſmus, cum mox iterum morbus recrudeſceret, et aſthma ſpaſticum in dies augeretur. Vocatus itaque in conſilium novus Medicus, qui eo rem adducebat, ut, oppreſſo poſt aliquot dies cum febri aſthmate, meliora ſperari potuiſſent, niſi urina adhuc turbida cum gravi ſedimento timorem inieciſſet Medicis. Et invaſere mox aegrotum febris lenta, reſpiratio difficilis, agrypnia, tuſſis ferina, ac ſumma virium proſtratio, quae, latere infarctum viſceris nobilioris, facile perſuadebant. Etſi vero, adſcito etiam tertio Medico, ſaluberrima medicamenta ad expugnandum morbum propinarentur aegroto, fruſtra tamen fuere omnia, quod divinum Numen eum ad meliorem vitam evocare conſtituiſſet. Et hic praedicanda nobis eſt incredibilis Illuſtriſſimi Comitis, in floren-

rentiſſima aetate conſtituti, patientia, qua factum, ut ne ſemel quidem de morbi acerbitate conquereretur, et magna cum animi voluptate cum Confeſſionario ſuo, Viro Summe Rev. D. IO. GOTTLOB CARPZOVIO P. P. et ad D. Thomae Archi-Diacono, qui eum frequenter inviſit, fidemque eius S. Coenae uſu confirmavit, de rebus divinis colloqueretur. Ita demum fortiter excepit horam decretoriam, et inter fervidas adſtantium preces die nupera IV Decemb. paullo ante horam VII matutinam, placide, et ſine ullis doloribus, exſpiravit, annos natus XVII, menſesque ſex et dies totidem.

DISSERTATIO XXII.
DE
PILEO, LIBERTATIS SYMBOLO.

AD *pileum vocare*, ſolenni quaſi formula, Romanos conſueviſſe ſervos, hoc eſt, ad libertatem, pervulgatum eſt inter antiquitatum promos condos. Nec longe ratio petenda, cum ſolis ingenuis

tametsi nudo capite plerumque incederent, ius tamen fuerit tegendi capita, quo carebant mancipia, quibus caput perpetuo nudum erat, quicquid demum accideret incommodi. Et, quamvis raro pileati in veterum monumentis reperiantur, attamen, vel solum pileum, in nummis depictum, libertatem designare, extra omnem dubitationem positum est. Ita Cassius et Brutus, occiso Caesare, nummum cudi curarunt, pileum cum duobus gladiis a latere repraesentantem, addita Inscriptione: EID. MR. id est, IDIBVS MARTIIS, quod eo die caesus esset Caesar; et in Tib. Claudii Caes. nummo sigillum, seu parvum simulacrum, conspicitur, quod dextra pileum tenet, cum Inscriptione: LIBERTAS COS. III. Praetermittimus alia, quae hic de Romanis afferri possent; illud mirum videri poterit, ab omnibus fere gentibus, omni tempore, quoties facienda fuit libertatis professio, adhibitum esse pileum. HENRICVS II, Galliae Rex, publico scripto, quo rationem reddebat initi abs se cum MAVRITIO, Saxone, contra CAROLVM V foederis, in ipsa fronte praefixisse pileum fertur cum duobus pugionibus, ut se hoc ipso libertatis Germanicae vindicem ostenderet. Et quis extremos Cimbros, quos ho-

hodie Iutos dicimus, ſeculo barbaro docuit, pileo libertatem indicari? Qui, A. 1087 de oppreſſione CANVTI II, Regis Daniae, murmurantes, coniuratione facta, pileum publice praeferebant, libertatem ad internecionem usque vindicaturi. Nec ſine omine factum videtur, ut GEISLERVS ille in Helvetia, poteſtate, a Caeſare conceſſa, abutens, eo dementiae devenerit, ut pileum ſuſpenderit, cui, veluti ſibi ipſi, caput aperirent praetereuntes, hoc quodammodo ſigno futurae Helvetiorum libertati, quam turpiter oppreſſum ibat, praeludens. Nunc ego quoque, procul omni quidem ambitione, libertatis ſymbolum ſuſpendo, et *ad pileum voco* Iuvenes ſtudioſos, qui hactenus, ut diſcipulos decet, Magiſtri ſui nomen tulerunt, eiusque ſe ſententiis addicentes penitus, durum ſcholaſticae ſervitutis iugum portaſſe viſi ſunt. Ad pileum, inquam, voco Doctoris in Philoſophia, ſive Magiſtri, quo manumittendi quaſi ſunt, qui a doctrinis Philoſophorum ſatis inſtructi, non indigebunt ultra ductu Magiſtri, ſed dirigendis formandisque aliorum ſtudiis idonei deprehendentur; quique adeo plenam per pileum libertatem adipiſcentur docendi, quae ratio, uſu ac ſtudio confirmata, ſuppeditat.

 Ac-

Accedite itaque prompti, quicunque auream amatis libertatem; id tamen Vobis curandum praecipue, ne vacui, verum ut iis instructi scientiis accedatis, quibus vos pileo, seu libertate, dignos probetis nostro Ordini. Cavete enim, pileipolas nos putetis, quibus perinde esse solet, quibus, quam splendidos, pileos vendant, modo iustum pretium adnumeretur. Quin potius fucos a praesepibus arcemus, ac semper servos, semper ἀπιλοφόρους, (Galli dicerent *Messieurs sans chapeau*) procul esse iubemus. Vos vero, Iuvenes, non minus optimis literis, quam castis moribus, ornatissimi, qui gravissimae servitutis pertaesi, ad pileum, ad libertatem, adspiratis, ut in solenni, quam vocamus, completione, proximis Vigiliis Thomae, hora II promeridiana, instituenda, Ordini nostro praesentes Vos sistatis, repulsae nescii, ea, qua par est ac decet, humanitate invitamus.

DIS-

DISSERTATIO XXIII.
DE
VITA ET SCRIPTIS GABRIELIS SYMEONIS.

INter Viros doctos Seculi XVI, quorum insignis fuit in re antiquaria et nummaria industria ac sagacitas, eminet haud dubie GABRIEL SYMEONE, Latine aliis SIMEON, aliis SIMONEVS dictus, dignus ampliori elogio, quod eximia Operum illius raritas quodammodo obscuravit. (a) Nos, eum ab oblivione, quantum in nobis est, vindicaturi, cum vix aliunde adiumenti quidquam peti possit, tentabimus, quantum ex ipsius potissimum scriptis quibusdam, quae in manibus nostris sunt, elici ad tanti Viri vitam moresque cognoscendos queat. Florentinum fuisse, cum illi, qui

(a) De eo ita scribit MICH. POCCIANTIVS in *Catal. Scriptor. Florent. p.* 74: *G. Simoneus, in humanioribus studiis longo studio exercitatus, Philosophus non indoctus, sed Conographus peritissimus, conscripsit plura clara Opera, quibus nomen suum longe lateque divulgavit*; et optimus horum aestimator, ANSELMVS BAMDVRVS, in *Bibl. Nummar. ed. Fabr. p.* 17, 18, ita ait: *G. Simeon, cum vetera monimenta studiose conquireret, nummos non neglexit - - quos doctus Florentinus solerter et accurate exposuit.*

qui de Scriptoribus Florentinis egerunt, (b) testantur, tum ipse apertissime profitetur, (c) ubi DANTIS Epitaphium Ravennae considerans, in quo Florentia *parvi mater amoris*, atque ipse *patriis extorris ab oris*, vocatur, eandem sortem et Florentinos alios illustres, PETRARCHAM nempe, et BOCCATIVM, et se ipsum, invidia civium gravatum, expertum esse, queritur. Quo et pertinet, ubi in Coenotaphio, quod sibi ipse scripsit, (d) Magistratum se adeptum quidem esse, sed et amisisse, fatetur. Quo anno natus, aut mortuus, fuerit, nemo perhibet; saltem POCCIANTIVS, (e) eum adhuc A. 1572 in vivis fuisse, testatur, et, si iconem eius, qualis annis 1557 et 1561 fuit, in binis eius Operibus, (f) contemple-

(b) POCCIANTIVS *l. c.* et GIVLIO NEGRI *nell' Istoria degli Scrittori Fiorentini p.* 229.

(c) *Illustres Observat. Aut. p.* 74, 75, 76.

(d) In libro: *Description de la Limagne en Auvergne p.* 129, de se ita scribit: „ In patria Magistratum bis adeptus, in militia triennium, apud Augustam Taurinorum, eorum unum, adolescens, (mutato Reip. statu) alterum ex invidia iuvenis, tertium Iani Carraccioli, Melphitani Principis, sub Alphinorumque Proregis, orbatione vir factus amisit. „

(e) *l. c. p.* 74. Conf. NEGRI *l. c. p.* 229.

(f) Nempe in titulo libri *Observ. Ant.* qui A. 1557, et in altero, *Description de la Limagne*, qui A. 1561

plemur, in qua' rugosus et barbatus apparet, hoc tantum inde confici poterit, eum ad aetatem satis provectam pervenisse. Diem tamen natalem ipse indicat, vigesimum quintum Iulii, (g) ubi simul in horoscopum suum, ut fuit Astrologiae admodum peritus, solicite inquirit. Nobilibus parentibus natum esse, et passim in scriptis suis, et in Epitaphio suo, quod vide infra, testatur, patre nempe ingenuo, OCTAVIO, matre MARIA. Vxorem quoque duxisse, sed post semestre spatium parentibus redditam, in eodem Epitaphio non dissimulat. (h) Neque eam aliam ob causam dimisisse videtur, quam ne exilii, quod eodem tempore arripuit, molestiam, uxorem secum circum-

prodiit, p. 127, et, quamvis in aliis, ornamentis inprimis, hae icones discrepent, in rugis tamen et barba crispa conveniunt.

(g) *Descr. de la Limagne* p. 130, ubi ait: *Ma nativité fut un Mecredy à l' aube du iour XXV de Iuillet, ascendant la seconde face du Cancer avec Mars, et succedant la premiere du Lion avec le Soleil, Venus et Mercure, entre la premiere et seconde maison: et pourtant principaux dominateurs de ma vie, mesme le Soleil tres vigoureux en son domicile.* etc.

(h) In *Descr. de la Limagne* p. 128, his verbis: „Vxori maritus duntaxat semester, quam paren„tibus exulabundus (dote non comminuta) com„mendavit, amplius non revisit.

cumducendo, augeret: certe non male ipſi cum ea conveniſſe, ex loco aliquo *Obſervationum antiqu.* (i) patet, ubi ait, ſe et communi proverbio, et propria experientia, didiciſſe, quod bonus vir bonam faciat uxorem. Poſtquam ita in Gallias diſceſſiſſet, Lugduni inprimis commoratus, inſatiabilem prodidit vetera monumenta luſtrandi cupiditatem, quod nec ipſe diffitetur, (k) cunctis fere librorum ſuorum titulis, tum et Inſcriptionibus, a ſe ipſo compoſitis, vocabulum ΕΥΔΟΚΙΑΣ, (l) et praeterea nunc

(i) Pag. 6 his verbis: *Il pourroit être que l' indiſcretion et desloyauté d' aucuns Maris me contraindroient de donner contre eux la ſentence, ayant non ſeulement oui dire, mais encore experimenté, que les bons Maris font les bonnes Femmes.*

(k) Ita enim diſerte in libro *Obſerv. antiques* p. 19: *Mon naturel eſt, de vouloir touiours voire et apprendre quelque choſe.*

(l) Cauſam ipſe innuit in libro, *Deſcr. de la Limagne, p.* 83, his verbis: *Il ne ſe faut pas eſmerveiller, ſi m'ayant concedé la nature, outre tant d' exemples, ceſte bonne volonté, que les Grecs apellent ἐυδοκία, et cette grande envie de faire proufit, a laquelle la Fortune deniant les forces, ie cherche avec toute mon induſtrie de celebrer et refraichir en mes livres (n'ayant aucune obligation iusques a maintenir avec les modernes) les noms inſignes, les oeuvres excellentes, et les nobles memoires des Anciens.*

nunc verba: *Sic nati videmur, ut contemplemur*, (m) nunc simillima: *Natura ita impellimur, ut prodesse velimus*, (n) nunc illud: *Apollini genitori*, (m) apponens. Itaque, ut hunc animi ardorem expleret, HENRICO GVISIO, Duci, A. 1557 in Italiam proficiscenti, comitem se dedit, eoque Observationes, in eo itinere factas, (de quibus paullo infra) sequenti anno CAROLO GVISIO, Cardinali Lotharingiae, illius fratri, dedicavit. Primum quidem Lugduno Massiliam se contulit, de qua urbe, a Phocensibus olim, ut probat, habitata, singularia quaedam annotavit. (p) Hic, conscensa navi, Romam abiit, cuius praecipua monumenta intra octiduum lustravit, castrum Firmanorum inde, Anconam, Pisaurum, Ariminum, Ravennam, Clugiagos, Venetias, delatus, rursus-

(m) Vt in titulo Operis, *Observ. antiques.*

(n) Vt in titulo libri, *Illustratione degli Epitaffi* etc.

(o) in *Descr. de la Limagne p.* 127, 130.

(p) in *Observ. ant.* ubi exponit iter universum, ita loquitur de hac urbe *p.* 16: *Les habitans du lieu, tant hommes que femmes, sont encore aujourdhuy habillez à la Grecque, et ont la parole, la couleur de la chair, et la fason du visage de mesme: dont ie penserois volontiers que ce fut quelque demeurant de ces Grecs nommez Phocenses.* etc.

ſusque per Patavium, Ferraram, Veronam, Breſſiam, Badam, Lauſannam, Genevam, Lugdunum reverſus eſt. Inde et Lutetiam Pariſiorum excurrit, ſed, cum iuſtos literarum aeſtimatores, qui ipſius commodis proſpicerent, haud inveniſſet, mox Lugdunum ad libros ſuos ſe recepit, dolens inprimis, ab iis ſe deſeri, quibus protinus immortalitatem donare queat. (p) Interfuiſſe illum quoque aliquo tempore Concilio Tridentino, ipſe diſerte fatetur, ubi familiariter verſatus eſt cum VVILHELMO DV PRAT, Epiſcopo Claremontano, magni illius Galliae Cancellarii, ANTONII, filio, cui cum ſagacitatem ſuam admodum probaſſet, hoc ab eo

(q) in libro, *Obſerv. ant.* in quo totum illud iter deſcripſit, de hac quoque excurſione ita loquitur p. 120: *Voyant, de n'avoir plus que faire à Paris (car ie perds mal volontiers temps à l'entour des vaines et longues eſperances et promeſſes des perſonnes, meſme de ceux qui ne ſe ſoucient, ſi non de leur proufit particulier, et ne ſcavent incontinent obliger un homme vertueux, qui en un moment peult rendre à iamais leurs noms immortels au monde) ie m'en retournay à Lyon entre mes livres.* Conf. eius *Deſcr. de la Limagne,* p. 143, ubi adverſae illius fortunae fit mentio, quam modeſtia et magnorum virorum, qui eam experti ſunt, recordatione vicit.

eo elogium retulit, ut dixerit: *Ego nunquam tale expertus ſum ingenium.* (r) Ceterum, etſi iuvenis aulae ſe mancipare noluerit, et oblatum a COSMO I, Magno Duce Florentiae, Oeconomi Ducalis munus detrectaverit, poſtremis tamen aetatis ſuae annis in aulam EMANVELIS PHILIPERTI, Sabaudiae Ducis, conceſſit, in qua et vitam finiiſſe videtur. (s) Quod ad ſcripta eius, in iis primum, ni fallimur, fuit Opus hiſtorico-politicum, cuius titulus: *Commentari alla Tetrarchia di Venetia, di Milano, di Mantova e di Ferrara*, Venetiis A. 1548 editum, et Venetiarum Principi, DONATO, conſecratum, eiusque pariter, ac Pontificis Romani, M. Ducis Florentiae, aliorumque, privilegiis munitum, quod *opus celeberrimum* vocat POCCIANTIVS. (t) Succedat liber elegans: *Illuſtrationi delli Epitaffi*

(r) Vide eius Dialogum, *Deſcr. de la Limagne, p.* 74, ubi ſtatim ſubiungit Collocutor, quem ſibi fingit, Dipiſtius: *Vous eſtes vrayement digne du nom celeſte, que vous avez: ie m' eſmerveille plus de ce que vous approchant du Ciel vous cherchez ſi volontiers les plus hautes montaignes.* Nimirum in eodem Dialogo ipſe Vranii nomen adſciverat.

(s) Vtrumque teſtatur NEGRI in *Scrittori Fior. p.* 229.

(t) *l. c.* Conf. NEGRI *l. c.*

pitaffi e Medaglie antiche, quem eundem esse putat Cl. BANDVRVS (u) cum Gallico illo: *Les illustres Observations antiques en son dernier Voyage d' Italie l' an. 1557:* forte quod utrumque librum Lugduni in Gallia A. 1558, 4, et apud eundem Typographum, editum cognovisset; at, cum et tituli discrepent, et Etruscus ille liber ALPHONSO, Ferrariae Duci, (x) hic vero CAROLO, Cardinali Lotharingiae, inscriptus sit, res dubia iis videbitur, qui, quam longe a lucri studio, quod duplex unius libri Dedicatio prodit, abfuerit SIMONEVS, intelligunt. Postquam tamen et ipsi librum Italicum *Illustratione* etc. inspeximus, et cum Gallico contulimus, observavimus utique, pleraque convenire, hoc tantum discrimine, quod illic paullo latius excurrat, maxime post *p.* 137, paucasque circumstantias paullo aliter exprimat, et ipsa Marmora, quorum non pauca producuntur, aliis saepe ornamentis decorata in utroque libro conspiciantur. Praeterquam vero, quod hic, itineris sui ratione habita, quae ubique vetera monumenta, Inscriptiones, nummos, observaverat, examinat et illustrat, subinde etiam alia, rem militarem, aut politicam, spectantia,

(u) *Biblioth. Numm. p.* 18.
(x) POCCIANT. *l. c.*

tia, attingit, (y) variaque paſſim inſpergit Poemata Etruſca, a ſe compoſita. (z) Proximus eſt eius libellus, quem BANDVRVS inſcripſit: *Dialogo pio e ſpeculativo, Lyone, 1560, 4;* ſed, falli illum, ex IVLIO NEGRI (aa) patet, qui hunc novae editionis titulum dedit: *Dialogo piu ſpeculativo che Iſtorico ſopra l' antiche Medaglie, con un Dialogo dell' Impreſe militari ed amoroſe di Monſig. Giovio, Veſcovo di Nocera, e con un Ragionamento di Lodoveco Domenichi. Lyone, per Guglielmo Roviglio, 1574, 8;* quanquam parum abeſt, quin hunc titulum quoad cetera non ſatis accurate expreſſum cenſeam, cum ipſe poſſideam libellum, eodem in loco, apud eundem typographum, eodem anno, et forma quoque eadem, editum, cuius hic plane titulus: *Dialogo dell' Impreſe militari ed amoroſe di Monſ. Giovio, Veſc. di Novara, et del S. Gabriel Symeoni, Fiorentino, con un ragionamento di M. Lodovico Domenichi, nel medeſimo Soggetto.* Eſt vero libellus ille de Emblematibus perexiguus,

(y) Ita *p.* 113 *ſeq.* multis rationibus evincit, quantum miles legionarius, ſeu domeſticus, praeſtet extraneo.

(z) Vt *p.* 7, 14, 20, 29, 32, 73, 77, 97.

(aa) *Scritt. Fior. l. c.*

us, (bb) ANNAE MOMMORANTIO, Comiti Stabuli Franciae, inſcriptus ſingulari Epiſtola, Lugduni d. 15 Maii A. 1559 data; unde facile concludimus, noſtram eſſe ſecundam editionem libri pridem antea editi. Maioris molis aeque, ac uſus, eſt liber, a POCCIANTIO, NEGRI, et aliis, non memoratus: *Deſcription de la Limagne d' Auvergne, en forme de dialogue, avec pluſieurs Medailles, Statues, Oracles, Epitaphes, Sentences, et autres choſes memorables, et non moins plaiſantes et proufitables aux Amateurs de l' Antiquité, traduit du livre Italien de G. Symeon, par* Antoine Chappuys *de Dauphiné*, Lugduni, 1561, 4; et, quamvis ex hoc titulo credi poſſet, librum hunc Italice primum vulgatum, attamen, cum Italica editio ſolertiſſimi BANDVRI *l. c.* diligentiam effugerit, utique exiſtimandum, eum ex MSto Autoris fuiſſe Gallice ver-

(bb) Nempe *paginarum* 57, *a p.* 169 *ad* 215, et magnam partem complent figurae emblematum, quae Autor non, ut BANDVRVS tradit, per modum dialcgi, ſed iuſta ſermonis ſerie, et breviter admodum, explicat. Notamus hic obiter, inter alia emblemata p. 203 luculentam Autoris iconem ſpectari, protenſa ſimul e coelo manu, quae digito monſtrat eius frontem, cum Inſcriptione: *Frons hominem praeſtat*; qua occaſione vultus ſui felicitatem e Phyſiognomiae regulis explicat.

versum, nec Italice unquam prodiisse. Hoc libro, dialogo, inter Vranium, quo nomine se ipsum designat, et Dipistium instituto, primum de emblematibus, et, quae in illis comparent, sententiis ponderosis, differit, et mox ad res naturales conversus, Deum, naturam etc. apte describit, divinationem poeticam extollit, inprimis diligenter homines ad ea attendere iubens, quae saepe non cogitantes proferunt, quod exinde de futuris certi esse possint, (*p.* 22) Romanosque probat, quod haruspicia, auguria, prodigia, diligenter rimati sint, (*p.* 28) tum insignia ac nummos Florentiae, patriae suae, argute explicat, nec Astrologiam spernendam esse, exemplis IVLII CAESARIS, CAROLI V, et COSMI Medicei, probat, qui, sub Capricorno nati, eadem fere omnes ausi fuerint ac gesserint, (*p.* 66) denique, aliis quoque intermixtis, (*p.* 89 *seq.*) ad ea accedit, quae titulus inprimis pollicebatur, et, proposita Limaniae veteris tabula, inprimis docte demonstrat, Clarum Montem in Arvernis esse Gergobiam antiquam IVLII CAESARIS, (*p.* 109) cuius hac occasione loca plurima affert, ac multo doctrinae apparatu explicat, ultimo tandem loco Epitaphium sibi ipsi ponens, idque pari eruditione illustrans. Hic etiam

P libri,

libri, a ſe editi Pariſiis, ſed Italice nondum verſi, *Ceſar renouvellé*, quem fortiſſimi belli duces illius temporis, Mareſchallus DE BISSAC et Dn. D'VRFE magno in pretio habuerunt, meminit, (*p.* 92) de quo omnes tacent, et ſpem facit (*p.* 42) Hiſtoriae Romanae inde a diluvio usque ad FERDINANDVM I, Imperatorem, originem quippe Romae longe ante ROMVLVM petendam cenſens; (aa) quam tamen neutiquam in lucem exiiſſe, veriſimile videtur. Memorantur etiam eius *Obſervations militaires*, Etruſco ſermone, quas NEGRI ineditas putat, POCCIANTIVS vero *l. c.* Autorem eas typis excudendas curaſſe, tradit, qui tamen nec locum impreſſionis, nec annum, memorat. Enimvero, eundem hunc librum eſſe cum *Caeſare renovato*, non obſcure ex ipſis SIMEONII verbis patet. (bb) NEGRI quoque inter ſcripta eius tres

(aa) Ita nimirum inter alia p. 41: *De la quelle grandeur des Tuſcans ie vous reſoudray encore mieux en un autre mien livre, ou i'ay compris dés le Deluge iusques à Ferdinand Empereur, an pour an, toute l' Hiſtoire Romaine et les choſes plus ſingulieres de la ville de Rome.*

(bb) Ita enim in Dedicatione *Obſerv. antiquis* praemiſſa: *Les faits de* Ceſar, renouvellez *et illuſtrez dernierement par mon livre des* Obſervations militaires etc.

tres libros refert Latinos, unum de Physiognomia, alterum de Chiromantia, tertium de Geomantia, non addito tamen loco et anno, hoc titulo: *Epitome nova, quam diligenter per Gabrielem Simeonem edita, et proprio veritatis nitori restituta*, cui addita Carmina quaedam Latina, testatur. Quibus accedit, eodem teste, *Apologia contra l' Impugnatori e Censori delle sue opere*, Lugduni, 1569. Praeterea vertendis etiam aliorum operibus non defuit. Nam et GVILIELMI CHOVL utrumque librum, alterum *della Religione antica Romana*, Lugd. 1559, fol. et 1569, 4, et *Metamorphosin Ovidii*, Epigrammatibus Etruscis expositam, ibidem dedit A. 1559, alterum *dell' Accampamento degli Eserciti Romani* etc. ibid. cuius quidem titulum hunc exhibet Io. MARIVS DE CRESCIMBENI: (ee) *Metamorfoseo d' Ovidio figurato, ed abbreviato in forma d' Epigrammi*, quae Epigrammata octo rhythmis, (*in ottava rima*,) quippe huic carminum generi inprimis accommodatis, composita esse, observat. Fuit enim Poeta haud infimae caveae, quippe qui, praeter haec Epigrammata, aliaque Carmina, supra memorata, (ff) Vene-

(ee) *Commentari intorno all' Istoria della volgar Poesia Vol. I L. III Cap. 5.*

(ff) Nempe *Observat*, eius *antiquis* inserta, Vid. supra *sub Nota x*).

netiis A. 1549 edidit Satyras, ad modum BERNAE, inventoris, compoſitas, *Satire alla Berneſca*, quibus acceſſere *Rime e Concetti Villaneſcbi d' Ameto Paſtore, compoſti per la Tonia del Tantara.* (gg) Quo loco non eſt omittendum Hymenaeum Etruſcum, A. 1660 nuptiis Iſabellae et Margaritae, Galliae Principum, paullo ante, quam celebrarentur, conſecratum, in quo non uno in loco acerba fata CAROLI IX, Regis, poetica quadam divinatione praedixiſſe ſibi viſus eſt. (hh) Denique Epitaphium (ii) ſubiungimus, quod ipſe ſibi poſuit paullo ambitioſius, quo magis Lectori noſtro de ingenio atque indole viri conſtet. Eſt vero hoc:

HEVS BONE VIATOR!

EXPOLITVM QVOD VIDES, VIRTVTE, NON FOENORE, PARTVM EST, NEQVE OMNI-

(gg) CRESCIMBENI *l. c. Cap.* 5.

(hh) Exſtat illud integrum in eius libro *Deſcr. de la Limagne a p.* 23 *ad* 27, ubi mire ſibi placet hac praedictione *p.* 22 *et* 27.

(ii) Exhibet illud in *Deſcr. de la Limagne* p. 120 *ſeq.* et uberius illuſtrat usque ad finem operis p. 144, quod hac denique ſententia concludit: *Sapienter cogitant, qui temporibus ſecundis caſus adverſos reformidant.*

MNIBVS DECENS MONVMENTVM.

I. S.

Nomine GABRIEL, cognomine SYMEON, (illud angelicum, hoc vaticinatorum,) Florentino, eodemque ingenuo, patre, OCTAVIO, matre natus MARIA, regiumque ſortitus coelum, regios omnes mores prae ſe tulit. Arma, equos, venatum, aucupium, lautam, redolentemque ſupellectilem, muſicen, numiſmata, ſtatuas, ſigna, tabulas, nemora, prata, rivulos, locaque recondita, eo uſque dilexit, ut, nedum ceteras artes, et plebeculae coetum, ſed omnino urbes, faſtidiret. In conſilio perſpicax, in iudicio acer, inventionis acumine clarus, riſus et ſermonis parcus, invidit unquam nemini, amavit pertinaciter, breviter odit, neque amorem ſimulavit. Amicorum paucos novit, horarios multos invenit, non omnes recepit. In utroque dicendi genere libros conſcripſit, leges, ab ſe inventas, militibus dedit, murorum propugnacula direxit, locorum metitus intervalla, regiones pinxit, ſententias pronuntiavit, diligentiam coluit, liberalitatem exercuit, fidem ſervavit. Vxori maritus duntaxat ſemeſter fuit, quam parentibus exulabundus (dote non comminuta) com-

commendavit, amplius non revisit. Nam plurimas terrarum orbis circumiens regiones, Oceanum, Mediterraneum, Adriaticumque, mare pertransivit, collapsa ubique temporis vitio, hominumve incuria, insignium virorum monumenta, (Ludgunensium praesertim,) Deorumque delubra, membranis restituens, Philosophiaeque ac suae tantus libertatis amator, ut illam ceteris cupidinibus, hanc cunctis Regum divitiis, anteferret. In Patria magistratum bis adeptus, in militia triennium apud Augustam Taurinorum, eorum unum adolescens, (mutato Reipublicae statu,) alterum ex invidia iuvenis, tertium IANI CARACCIOLI, Melphitani Principis, sub Alphinorumque Proregis, orbatione vir factus, amisit. Quibus omnibus eodem semper animo peractis, sibi, amicis, praesentibus, et posteris, cum hoc, tum novissimum vivus id aliud monumentum dereliquit.

IPSE ANIMO SALTEM
VIXI
NEC REGIBVS IMPAR.

DIS-

DISSERTATIO XXIV.

HERMANNI BVSCHII, PASIPHILI, CARMEN, QVOD INSCRIPSIT LIPSICA, E LATEBRIS PROTRACTVM EXHIBENS.

CVm ante hos annos XXVI Graecarum et Latinarum literarum in Misnia instauratores in cathedram adducerem, inter primos commendavi HERMANNVM BVSCHIVM, VVestphalum, Oratorem, Criticum, et Poetam, sui temporis praestantissimum, nec in sacris Literis, Iure, ac Medicina, hospitem, qui non Lipsiae modo, verum et in quamplurimis aliis Germaniae urbibus, ut mos erat eius temporis, bonas literas magna cum laude professus est. Hunc, subodorabar tunc, obscuris quidem indiciis, nonnihil de Lipsia nostra commentatum; etsi, qui de vita et scriptis eius uberius egerunt, nullam eius opellae mentionem fecerint. Sed incidit illa ipsa nuper oportune in manus meas, dignaque mihi visa est illico, ob carminis Virgiliani castitatem et elegantiam, quam, iam tum A. 1504, satis quidem perplexe, ob varia vocum compendia, editam, nitidiori paullo prelo recuderem, non neglecta, quam praemisit

misit Autor, facunda ad Amplissimum urbis Senatum adlocutione. Exhibet vero titulus rudem picturam, hominem nempe sylvestrem, quernea, ut verisimile, cinctum corona, dextra insignia Lipsiensium, Leonem cum trabibus, sinistra stipitem ad modum clavae Herculeae, tenentem. Sed en ipsum libellum:

HERMANNI BVSCHII,
Pasiphili,
LIPSICA.

Consulibus, Senatuique Lipsensi,
HERMANNVS BVSCHIVS,
Pasiphilus,
Salutem!

Praeclara ratio est, Viri Lipsenses, meo iudicio, et inprimis utilis, qua omnes fere potentes et egregiae urbes, immo ipsi urbium, et regnorum, Principes, suas pace et bello, domi forisque, res gestas fidelibus literarum monumentis publice commendari, ab initio semper voluerunt; tanto etiam studio eorum aeque favore, qui hoc opus aut tentare sunt ausi, aut feliciter aggressi perfecerunt, ut maximis eos honoribus opibusque sint persecuti. Sic

Thu-

Thucydidem, Imperatorem ſuum, Athenienſes civitate eiectum, cum ad ſcribendum res geſtas eorum ſe contuliſſet, in patriam ab exilio ipſum revocarunt, honorantes eloquentiam, cuius ante virtutem damnaverant. Sic et Alexander ille, totius Orientis domitor, cuidam Poetae minus idoneo, bella et opera ipſius, quanquam parum ex Regis dignitate, complexo, pro ſingulis verſibus ſingulos philippos aureos rependi iuſſit. Quem imitatus et ipſe, bellica virtute magnus, Cn. Pompeius, Theophanem Mitylenaeum, Scriptorem rerum ſuarum, in concione militum civitate donavit. Hinc Plinius inquit, moris antiqui fuiſſe, eos, qui vel ſingulorum laudes, vel urbium, ſuſceperant, aut honoribus, aut pecunia, ornare. Et certe, ut idem Auctor alibi quoque ait, ſi curae nobis eſſe ſolet, ut facies noſtra, quae brevi ſpatio aetatis canis deformatur, ab optimo quoque artifice exprimatur, cur non potius optamus, ut operibus noſtris, quae ſola eſt aeterna poſſeſſio, optimus ſcriptor praedicatorque contingat? Eſt hoc certe (ut dicam, quod ſentio,) vel maxime optandum curandumque, et praeſertim civitatibus. Nam in illuſtrium virorum aut nobilium civitatum rebus geſtis occurrunt vitae, mores, conſilia, temporum, fortunarum mutationes at-

atque eventus, ex quibus, tanquam ab exemplari, multa in dies capere atque haurire posteritas potest, per quae et publicis, et privatis, utilitatibus, rationibusque, provideant, consulantque. Hinc Alexander, Princeps Romanus, quotiens sibi deliberandum de negotio bellico foret, peritos historiae homines inprimis consulebat. Vbi iam Scriptores nullo in pretio habentur et negliguntur, an non in illis civitatibus haec omnia interim pereunt atque intercidunt, quorum (si tradita essent literis,) multiplici copia iuniores ad vitam non solum privatam, sed etiam munera publica obeunda, instructiores reddi potuissent? Quid? quod non minus est utilis in civitate aliqua ingens copia bonorum exemplorum, quam bonae leges. Illae enim imperio cogunt: at infidelis recti magister est metus; exempla vero alliciunt atque invitant, et inprimis hoc in se boni habent, quod approbant, quae praecipiunt, fieri posse. Vbi autem haec nulla exstant, ubi nullae historiae domesticae, nulli Scriptores, qui bonos viros laudando extollunt, improbos vituperando detestantur, ibi sine dubio peccare minus timet iuventus, et confidentius flagitia integrat, quasi in tenebris versetur, ignoreturque. Huiusmodi itaque infamiae atque dedecoris metu exterremur a vitiis,

is, et laudis dulcedine ad virtutem honestatemque accendimur. Nec Philosophos hic magnopere, quid de contemnenda laude et gloria loquantur, adverto; sed magis cum Cicerone dico: „Vt levitatis est, inanem aucupari rumorem, et „omnes umbras etiam falsae gloriae consectari, sic levis est animi, lucem splendoremque fugientis, iustam gloriam, quae „fructus est verae virtutis honestissimus, „repudiare.„ Quanquam scio, quod maiore animo fructus honestatis in conscientia, quam in fama, reponatur; quid propterea vetat, si recte facta sequi volueris, eam aequo animo admitti? Sicut enim appeti fortasse non debet, ita neque sponte adveniens extrudi. Et cur recta conscientia honestae famae testimonium aspernaretur, cum mala, etiam invita nolensque, suos testes sit habitura? Sed quorsum haec tam longa oratio de rerum historiarumque conditoribus, de laude ac fama non repudianda? In hunc finem, ornatissimi prudentissimique Viri Lipsenses, omnia haec a me dicuntur, non ut doceam vos, sed ut vestram laudem vos ipsos respicere aliquando atque agnoscere cogam, quorum prudentia singularis, virtusque egregia, ut in ceteris omnibus, ita quoque in hoc genere, non mediocriter enitescit, qui fovendis bonis artibus ornan-

nandisque excellentium virorum ingeniis, nulli, non dicam urbium, ſed ne gentium, ſtudio conceditis. Hi mores veſtri, praeſtantiſſimi honeſtiſſimique Viri Lipſenſes, adeo me vobis iam pridem devinxerunt, ut aſſidue mecum cogitem, quo meo labore, meisque vigiliis, nomen Lipſenſium (alioquin per ſe illuſtre ſatis) manſuris (ut ita dicam) vocibus tradam. Idque me reperiſſe propemodum iam arbitror, ſed donec illud parturiam, quaeſo, hoc noſtrum, Viri humaniſſimi, de veſtrae urbis apparatu Carmen, Veſtro nomini dedicatum a me non minus religioſe, quam ſi Muſis ipſis dedicandum fuiſſet, fronte, ut ſoletis, ſerena legite atque ſuſcipite. Valete, optimi atque humaniſſimi Viri Lipſenſes, et me, veſtri honoris, nominis, dignitatis, ſtudioſiſſimum, Vobis commendatum habete. Anno MDIV, XV Calend. Nov.

HERMANNI BVSCHII,
Paſiphili,
DE

LAVDE CVLTVQVE VRBIS LIPSENSIS SYLVA,

cui titulus

LIPSICA,

feliciter incipit.

Syl-

Sylvas, antra, lacus, florentia pascua, fontes,
Frugiferos et agros, et daedala rura, situmque,
Lips formosa, tuum, moresque, et clara virorum
Pectora, nunc versu facili describere conor.
Horrida sanguinei spirant qui praelia Martis,
Europae Troiaeque manus, funestaque fratrum
Funera, Thebanos late infamantia campos
Qui grandi ore loqui cupiunt, et pangere plectro,
Larga Medusaei deposcunt flumina saltus,
Aoniique rogant propiorem verticis auram,
Et data Castaliae maior sit copia ripae.
Tu mihi, tu satis es, sitienti carmine laudes
Amplecti, Lips clara, tuas. Non culmina Cyrrhae
Ostendi mihi, non vitreas Permessidis undas
Exhaurire peto, plenisque recondere buccis,
Laurea nec bifido decerpta cacumine serta
Hinc posco mihi, Phoebe, dari: Lips praemia nobis
(Si placeo) sat digna feret, nec munera valde
Magna moror; tantum precor adversata labores
Contemnat non illa meos, sed fronte serena
Haec capiat nostrae dona officiosa Camoenae.
Quae si laeta meum votum fortuna sequetur,
Laetitia plenus caput inter nubila condam,
Et cedam nullis, hoc fisus honore, Poetis.
Sed me, tempus erat, iam de dote uberis arvi,
Et genio agrorum, Lips, incepisse tuorum.
Horrea nam tantis hic aestas implet aristis,
Flavescitque seges campos hic tanta per omnes,
Tantaque fertilitas glebas foecundat opimas,

No-

Nobilibus certare queat regionibus orbis
Vt Lipsensis ager: non hunc Memphitica tellus,
Non etiam Siculi facilis proventus aratri,
Nec qui Stellates dicuntur nomine campi,
Iugera nec vincent hunc pinguibus Appula sulcis.
Sibilat hic aura leni crispata siligo,
Hic foecunda Ceres tritici turgescere spicas
Gaudet, et hinc meritas avet expectare coronas.
Hordea stant illic et canent aequore lato,
Stipatura domus, durus cum falce colonus
Coeperit in gravidam messem destringere dentem
Nudus, et a nimio factus iam decolor astro.
Hic viciae tenues foetus, hic surgere pisa,
Hic florere fabas, antiqua piamina patrum,
Hic causas placidi numerosa papavera somni,
Hic dare materiam mappis nova lina videbis,
Hic grandes calamos laetae spectabis avenae.
Quid tibi nunc versu sylvas et pascua dicam?
Quid de diversis venientes partibus amnes,
Miscentesque suas tacitis complexibus undas?
Qua surgit pinnis Arx alta, et versa sub austrum,
Exerit in nubes frontem, per florea rura
Serpit, et assuetas Nymphis Plesa porrigit urnas.
Nunc, ubi ad Hesperii me verto lumina solis,
Inter gramineas lucenti gurgite ripas
Pica salit, sequiturque suas, quas devehit, undas,
Raucaque per vitreas exercet murmura limphas.
Nec procul hinc ipsis terrae Lupa dicta colonis
Large perspicuas affundere moenibus urbis

Cer-

Certat aquas, certatque suas hinc Parda, parentem
Naiades allapsae patulos comitantur in agros,
Et feriunt teneris vada tralucentia plantis.
In tales solvi latices (si tristis in undas
Transformanda fuit,) legisset regia Dirce,
Has etiam Alphaeo Pisaea Arethusa relicto
Permutaret aquas, et cui se pulcer Anapus
Miscet Trinacriis et mallet flumina lymphis.
Huc Atys vellet spretis properare Sicanis,
Et Galathea suos fugiens sequeretur amores
Illam, Nereidum ni coerula turba sororum
Hunc retineret, amans niveis Galathea lacertis.
Nec tantum blandis piscosi fluxibus amnes
Appellunt Lipsim, potes hic ingentia iuxta
Moenia et ingenti vivaria cernere sumptu
Effossa, et dives vix qualia fertur Orata,
Aut habuisse gulae post hunc studiosior Hirrus,
Qui muraenarum sex millia mutua caenis
Caesaris appendit, vel qui vivaria Baulis
Baianis habuit vicina Hortensius undis.
Aequoris haec instar mirantia lumina lassant
Stagna, velutque patens mare largo littora tendunt
Circuitu, et liquido late sola mersa profundo
Aspiciunt, nullaque sinus a parte coercent.
Te larium spectare putes et rauca cientem
Murmura Benacum, magnis et molibus ipsum
Nerea Lucrinum pellentem, Lidaque Tusci
Regna lacus, quondam misero tepefacta cruore

Con-

Consulis, et Lybici possessa furore tyranni.
Nunc, quem delectant sylvae, nemoralibus umbris
Condensae, et spissis ramosa cacumina lustris,
Flectat in occasum devexaque sidera vultum,
Et lucum adspiciat, quo non est densior Ida,
Non Dodona Iovis, Phariis celebrata columbis,
Non nemus Hippolyti, Silari nec plurimus umbra
Lucus, et Alburni iuga frondosissima montis.
Hanc vicina sedens longo Lips ordine sylvam
Prospicit in latas extendere robora partes,
Inque polos altis et in aethera vergere ramis,
Sub quibus et Dryades niveae, Satyrique protervi
Capripedesque palam Fauni saltare chorosque
Instaurare solent, lassique sub arboris umbra
Suavia lacteolis mollissima figere Nymphis,
Et laeti virides in vivo cespite mensas
Sternere, vimineis et agrestia dona canistris
Promere, et ambrosium buxo miscere capaci
Nectar, et imposito crinem circumdare serto.
Pastores hoc saepe vident, cum Syrius aestu
Findit agros, mediumque tenet sol magnus Olympum.
Nam tunc siccato rore et sitientibus herbis
A pastu fugiunt, auramque umbramque sequuntur
Armenta, et mediis cupiunt requiescere sylvis.
Quo veniunt etiam gradientes pone magistri,
Crebraque septena fundentes iubila canna,
Innocuo laevas expellunt carmine curas.

Hi,

Hi, quotiens seri redeunt in tecta iuvenci,
Sub patulis totiens dicunt se numina ramis
Vidisse, et festas, luco gaudente, choreas.
Versus ad Auroram Phoebi et nascentis ad ortus,
Hic aliam video numeroso surgere sylvam
Stipite, sed duro gemit haec obnoxia ferro,
Lignaque fert rapidis et saevis caedua flammis.
At tibi nunc paucis, armenti copia quae sit,
Quae sit forma boum sylva stabulata sub omni,
Expediam. Caput est magnum, crassissima cervix,
Oblongumque latus, torvum palearia pectus
Ima tegunt, hirta duo concava fronte minantur
Cornua, lunatis aures sub cornibus horrent,
Ignavaque pedes abeunt gravitate bisulci,
Caudaque contactis verrit sola putria glebis.
Tale erat armentum, stabulis quod victor Iberis
Abstulit, et Tusco lavit Tirynthius amne,
Seu quod Lambeciae solis pascebat in aruis,
Seu quod per Strophadum campos Cythereius heros
Errare, et nullo coram custode uidebat
Candida demorsae latera acclinare genistae.
Hinc sibi mactari tauros optasset opimos
Iuppiter a populo laetis victore triumphis:
Hinc sibi iussisset auratam fronte iuvencam
Iuno devotas sisti genialis ad aras.
Nec minus haec regio, minus haec habet ora feroces
Alipedes: alto glomerant in pulvere gressus,
Quos haec gignit humus, cervix velatur honestis

Luxuriatque iubis, aures modicae, atque ſubactus
Venter, et argutum caput illis, pinguia terga,
Exſuperansque thoris pectus, clunesque rotundi.
Horum pars equitem dorſo gerit, armaque gaudet
Adſpicere, et cantus procul exaudire tubarum;
Altera pars domito rapit eſſeda Gallica collo,
Stridentesve rotas, attritave pondere plauſtra,
Aut grave tractat onus ternum renovantis aratri.
Si modo deflectas oculos ad amoena parumper
Paſcua, quas illic urentes culta capellas,
Quosve greges ovium, carpentes gramina, cernes?
Illis Endimion (pecori eſt ea gratia cuncto)
E coelo niveam poſſet deducere lunam:
Haec Deus Arcadiae ſi ſpectet ovilia, ſpernet
Maenala cum ſylvis Tegeaeaque rura lyceis.
Nunc revocat noſtrum cultos me carmen in hortos,
Et quae umbroſa meam cingunt pomaria Lipſim.
Quid pira? Quid referam curvantia pondere ramos
Mala? Quid Arctoas ceraſa incendentia ſylvas,
Cortice purpureo, caſtasque imitante puellas?
Perſica quid dicam, tenera canentia lana?
Meſpila quid Regum claras induta coronas?
His tu iuglandes, corylique his adde minores
Caſtaneaeque nuces: hic ſunt, comprendere fructus

Quos

Quos ego nec ſpecie, numero, nec carmine, poſſum.
Alcynoi qui mite ſolum, Perſaeque potentis
Pomiferas aequo diſcretas limite ſylvas
Inſignesque hortos priſci miratur Adonis,
Et mala Heſperidum ſulvo certantia villo,
Praedicat, ille tuos ſi, Lips, adſpexerit, omnes
Ridebit, quos eſt hortos mirata vetuſtas.
Laeta ſub his cives peragunt convivia ramis,
Cum ver pubeſcit, rapidisque caloribus aeſtas
Arboris effuſae iucundas efficit umbras.
Pocula nec deſunt, Veneris nec cura puellae,
Nec dulces iuvenum coetus, qui carmina dicunt,
Inſtituuntque choros, cythara modulante ſonora,
Et volucrum cantu tenues miſcente ſuſurros.
Tales divitias, tales vix poſſidet umbras
Bargaphie, vitreis Dianae cognita lymphis,
Maenala vix luco ſic defenduntur opaco.
Haec loca vel dici poſſunt molliſſima Tempe,
Calliopes vel iure ſolum natale vocari.
Vt taceam flores, ſuaves et odoribus herbas,
Et quae viva modis delectant gramina mille,
Luxuriantque comis, et mille coloribus urunt.
Hic roſa ſanguineos ardens diducit amictus,
Hic humiles violae dulci ferrugine florent,
Effigie calathi procera hic lilia ſurgunt,
Regius hic mitem diffundit amaracus umbram,
Hic ſaliunca viret, candent hic alba liguſtra,
Hic, narciſſe, nites, illic, hyacinthe, rubeſcis,
Nec melitotos abeſt, nec abeſt amaranthus, et haeret
Proximus oenanthe, flore et vaccinia nigro,

Se ſociant, iungitque illis ſe baccar amicum
Frontibus, et flexi cum caltha vimen aranthi.
Nunc veſcum quis dicet olus? Quis plurima rerum,
Hortorum quae cura parit, foecundaque cultu
Terra ſuo? Vt late pandentes brachia betas,
Vtque habiles ventri malvas, ut ſectile porrum,
Vt ſiſer, ut pigro gaudentia frigore rapa,
Braſſica nec deſit, nec abeſt lactuca, ciborum
Grata quies quondam, nec ſtricti faſcis aveti,
Nec lapatum, nec ruta virens, nec raphanus acer,
Vrinamque citans nec amaris intiba fibris.
Plura nec hortorum iactat cultura Syrorum,
Hic quam ſubmittit gremio pia terra recluſo.
Adde, quod et Baccho haec ſit grata ac hoſpita tellus,
Hic operit colles, et vitibus ornat apricos,
Pampineisque iubet late frondeſcere ſylvis,
Vinaque largitur gravidis Semeleius uvis,
Qualia vix pleno carpit de palmite Lesbos,
Qualia nectareo poſſint certare Falerno,
Aut certare tuis, clariſſima Setia, cellis.
Nunc me tecta vocant tua, Lips, nunc ardua, celſam,
Moenia, turrigero tollentia vertice frontem.
Quae facies urbis? Quae forma eſt? Quaeve Deorum
Culmina? Quisve loci genius? Quae ſtrata viarum?
Qui cultus hominum? Felices omine laeto,
Felices animas, inquam, quae ſidere fauſto

His

His tam formosis tribuere exordia muris.
Phosphorus ut coelo micat inter sidera toto,
Cum matutinis profert se roscidus horis,
Vt micat electri purissima lumina culti
Iuxta vulnifici pugnacia semina ferri,
Vtque inter flores vernos in Chloridos horto
Plus spargit Veneris rosa sanguine tincta decoris,
Vt nitidum plus lucet ebur, quod Tyburis aura
Semper habet, micat ut conchae candore marinae
Praecipuo partus, certatque ut lactis honori,
Plusque placet Parium, quam cetera marmora, Signum;
Sic, licet exsuperent auri argentique talentis
Multae urbes, maris et terrae ditione potentes,
Nulla situ tamen haec vincunt cultuque venusto
Moenia: sed, doctus, Veronae fama, Catullus
Vndivagis ut te celebravit, Sirmio, terris,
Sic est formosas Lips urbes inter ocellus.
Huius quam celso consurgunt aggere muri?
Quam cingunt crebris munitam turribus urbem?
Quam latae occurrunt omni sine sorde plateae?
Hic pulchros alte fastigia tollere cernis
Vndique, et aequata procedere fronte penates;
Efficit in medio spectabilis area visu
Planitiesque forum, quo dextra Curia parte
Desuper inspectat coetu stipata verendo,
Iustitiae cui cura tenax, cui totus honesti
Ardor inest animi, atque usu prudentia longo
Nutrita, et virtus nullo non carmine digna.

 Quem

Quem iuvat et populi mores audire, docebo.
Ille Patrum ſequitur ſtudium, ſanctique ſenatus:
Eſt placidus, clemens, affabilis, integer, aptis
Ingeniis, vultu pulcher, nec veſte, nec ore
Barbarus, in victu nitidus, ſed ſobrius odit
Vota gulae, et nimii damnat commercia luxus.
Nec ſolet ignavo luces transmittere ſomno,
Nec ſenſus hebetare mero, ventremque ſaginis
Tendere, nec ludo, foedave libidine, ſolvi.
Indulget tamen interdum, cum tempora poſcunt,
Laetitiae, cum cauſa monet, cum ſuadet honeſtas,
Tum coït excuſſis concors vicinia curis,
Explicat et frontem riſus ſermoque modeſtus,
Dulciaque unanimi ſtudio convivia fervent.
Nulla dies alias ſterili conſumitur uſu,
Intenti ſed opus faciunt, ſegnesque coercent
Emendantque moras, nec tempora caſſa labore
Effugiſſe ſinunt, omnique expertia fructu.
Quodque magis laudes, natos adſueſcere parvos
Officiis, quantumque valent, ad honeſta vocantes,
Erudiunt, et, qua vicinus parte iuvandus,
Quo conſanguineus, quo ſit peregrinus habendus
Ponendusque loco, quid diſcrepet utile recto,
Et quam ſit melius, contentum vivere parvo,
Nomine cum claro, quam cum rumore maligno
Poſſediſſe Deos, et quicquid caeca potenti
Sors poterit praebere manu, quod carpere nullus
Alterius famam, nec circumrodere vitam
Debeat, utque ſui potius ſit mantica tergi

Spe-

Spectanda, utque in se malit descendere quisque,
Auribus instillant, et, quod cuiusque decorum,
Quidve sit ut pulchrum, quid contra ut turpe tenendum,
Pro modulo aetatis, pro conditione locoque
Collibrare docent, trutinaque expendere cauta.
Nunc fora, nunc intra quae rerum est copia muros,
Vos mea plectra vocat, vestros huc vertite cantus.
Quis tritici vidit, tantumque siliginis, unquam,
Quotidie huc quantum convectant rustica plenis
Vndique plaustra viis? Credas, huc Gargara messes
Fundere tota suas, et, quicquid Moesia iactant
Horrea, rostratas huc transportasse carinas.
Quicquid habere potest felicis copia villae,
Educat: et quicquid rus nobile, quicquid et affert
Pinguis ager, cupido foecundaque terra colono,
Hic spectare licet. Pullos iste, ille columbas
Porrigit aerias, hic improbus obstrepit anser,
Hic fluvialis anas plaudit, decepta coturnix
Hic queritur, perdixque salax, turturque pudicus,
Nec desunt Palamedis aves, aut ripa Caystri
Quos vehit argutos per stagna loquacia cygnos.
Explicat hic pavo gemmatae lumina caudae,
Adverso gaudens spectari sole colores:
Nobilitatque dapes hic cui sua nomina Phasis

Indidit. Vt taceam volucres, quas callidus auceps
Cassibus, et visco, calamisque, et carmine, traxit:
Ova nec hic refero, pressique coagula lactis.
In scapulis teneros portat tibi rusticus haedos,
Affert lactentes, pavidis cum matribus, agnos.
Hic et, quos canibus iuvat atque indagine saltus
Cingere, de sylvis referunt, tesquisque iugosis
Captivos lepores, avidasque excurrere damas,
Capreolos, inulos, et saevos dentibus apros.
Nunc superest, ut adhuc populi commercia dicam,
Multiplices et opes, mercatorumque catervas,
Qui fora turmatim tua, Lips, et moenia quaerunt.
Cum Zephyrus verno foecundat rura sereno,
Et redit Autumnus pomis umbratus et uvis,
Brumaque nos cogit Iani meminisse bifrontis.
Mensibus his semper, certisque his partibus anni,
Quicquid vesper habet, vel quicquid donat Eous,
Ad Lipsim rapitur cursu fremituque secundo,
Vix populum turbamque viis capientibus omnem.
Hic, quicquid Chalibes fodiunt, et Dalmata coeca
Sub tellure legit, quicquid Callaecia dives
Eruit, hic, quicquid pretioso tinxit aheno
Fucavitque Tyros, et murice Sparta secundo,
Ponitur, huc avidi mittunt sua vellera Seres.
Huc, quicquid pinxere Phryges, radioque sonanti
Contulit Assyria Babylon, Chaldea sub umbra,
Huc veniunt bimari certantia vasa Corintho,
Huc auro solidi crateres, fulvaque passim,

Et

Et quae Mentoreo perfecta torevmata coelo,
Aut iures Phrygio solum tractanda ministro.
Nunc Indi rubrique potest quisnam aequoris ignes,
Quis gemmas numerare valet, non segnis Iaspis
Hic viret, arcano hic Ametistus fulgurat ostro,
Electra hic crebris delectant mixta Smaragdis,
Hic et Sardonices, Lychni, flammisque Pyropi
Collucent, variis Iacynti hic ducta figuris
Caerula praeradiant, Opalo confusus Apistus
Splendet, et in fragili teretes Adamante Cylindri,
Et quoscunque ferat vaga Tethyos unda lapillos,
Quosque tumens Indus, clarus quos fundit Hydaspes,
Et quos Aethiopum mittunt Lybiaeque coloni,
Quotque Ichnusiacis Siculisque leguntur in oris,
Impiger huc alio transfert mercator ab orbe.
Hic tibi monstrantur, Phydiae quae credere possis
Marmora; si pictas mavis spectare tabellas,
Hic est, quae Eoum vincat pictura magistrum;
Hic et felices iactant sua thura Sabaei,
Hic Cylices et fila croci, sua balsama molles
Hic redolent, venduntque Syri; nunc messis amomi,
Nunc casiae non parca seges, nunc cynnama larga,
Caucaseumque piper, Pharii nunc vimina Costi,
Surgunt, et grato nares remorantur odore.
Hic Nomadum nec cessat ebur, nec barbara citrus,
Myrrhina nec cupidis hic, nec cristallina, desunt,
Nec calices, quos Nilus amat percurrere. Sed quis

Cun-

Cuncta potest? Hic est procerum quod cura du-
cumque
Non fugiat, quod fortis eques, quod splendidus,
et quod
Luxuriosus emat, nec non quo pauperis usus
Indigeat, mystesque pius quod venditet aere,
Et redimat quod turba suo studiosa, decorus,
Hic est, quod iuvenis, puer, et virguncula, gestet,
Et matrona decens, hic, quod tellure marique
Prosit, et humanos iuvet excipiatque labores.
Nunc ad postremum decus, et quo nomine claros
Lips adit ipsa polos, atque aethera vertice pulsat,
Appropero, sileant Eurus, Nabathaeaque regna,
Secreto de fonte viros phialaque bibentes
Tantalea gentes, longaevos Gymnosophistas
Aethiopum, taceant, pudeat te magne tuorum
Nile sacerdotum, nec doctos Persia iactet
Vnquam elata Magos, Druidas et Gallia clauso
Ore premat tandem.
Quicquid sole Rhodos celebrata, et moenia magni
Quicquid Alexandri docuere, Ephesique potentis,
Et quicquid Thebae veteres trivere per artem,
Quicquid et ingenuis Pallas monstravit Athenis,
Ad Lipsim spretis migravit ab Hellade Graecis.
Hic adsunt, qui semper amant occulta latentis
Naturae, et varias coeli disquirere causas,
Hic, qui virtutum morumque volumina condunt,
Quique sciunt latebris obscurum educere verum,
Quaeve necaturos tollant medicamina morbos,
Restituantque aegris solatia, spemque salutis
Non dubiam, positosque levent haud segniter artus.

Hic audita patent, fluctus ec scire natantis
Hic pelagi, hic terrae numeros orbisque licebit
Noscere, et Archimedis curas spectare sagaces,
Pythagoraeque sonos, vatumque aeterna piorum
Carmina, et antiqui monumenta retexere secli,
Fluminaque eloquii, vimque omnem et fulgura fandi,
Percipere, et duplicis nodos evolvere iuris,
Aethereasque domos tentare, atque extima mundi
Regna super Phoebi radios, super ignea Martis
Astra, superque Iovis clemens et nobile sydus,
Falciferique senis stellam, pigrosque meatus,
Et super octavae flammata volumina sphaerae,
Inque ipso extremi mundi considere dorso.
Sunt, ubi iustorum sedes, campique patescunt
Luminis immensi, maiestatisque tremendae,
Regnaque ubi et stabiles rerum moderatur habenas
Conditor omnipotens, quem pontus et arduus aether
Terraque, et igniuomi lux tota tremiscit olympi.
O nimium felix, o terque quaterque beata
Lips, illustre caput tantis quae dotibus effers,
Et fama magnas urbes post terga relinquis!
Vellere Miletos celebratur, murice vincit
Exultatque Tyros, calidis Sinuessa superbit
Fontibus, eversae vino valuistis Amyclae,
Et portu et niveis blanditur Luna metallis,
Marmore se viridi commendat Sparta, Venefrum
Palladio nomen, famamque meretur olivo,
Nobilitant Paestumque rosae, linique Faliscos

Glo-

Gloria, Tyrrhenae Clusinaque moenia testae,
Sed tecum, moneo, nunquam, me iudice, certent,
Quae luce ingenii, quae fertilitate, virisque,
Et cultu, quasvis urbes, et moribus, aequas.
Quid dicam? Laudes vel felicissima cunctas
Hinc tibi praecerpis, hinc omnia semina, caussas
Hinc trahis immodicas, et latae pignora famae.
Illustris quae te patria virtute tuetur,
Gaudet et esse suam, fovet, adiuvat, auget, amatque,
Quem longe mallet, quam priscum, Aegyptus, Osyrim,
Quam Phoebum geminus vertex, quam Castora frigus
Eurotae, foliis hederae quam Nisa virentem
Myctilcum, profugi quam stantia moenia Cadmi
Amphitrionidem Princeps fortissimus, inter
Claros Marte duces nostri Georgius aevi,
Magnanimi Alberti soboles, et vera propago,
Astriferum cuius virtus transscendit olympum,
Et terras implet numerosis fama triumphis,
Surge, age, quae tantis excellis laudibus, et quam
Non nisi tranquilli meruerunt noscere Divi,
Surge, age, et aethereo felix caput insere coelo.

ODOEPORICON
HIERONYMI EMSER.

QVi tua, Lips, primus curvo signavit aratro,
Moenia cum gemino candiduloque bove,

Te, ſimul ut poſuit, fato ſubiecit et aevo,
  Et tua permiſit volvere fila Deas.
Vt poſſes longos, illis praeſentibus, annos
  Vivere, non aequis, ocyus eſſe nihil.
Sunt etenim, ut nobis, ſic urbibus omine certo
  Praeſcripti fines interitusque ſui.
Sicque Semiramidis ſublimia tecta ruere.
  Sic Pharaonaeae marmora picta domus.
Sic Thebae, ſic Troia iacet, ſic Pallados arces,
  Sic Solymae fato templa ſuperba ſuo;
Sicque renaſcentis flagrarunt moenia Romae
  Saepe, ſed exſtingui funditus illa nequit.
Nec tu, Lips, poſthac coecis obnoxia fatis,
  Debebis morti teve decuſve tuum.
Nam tibi perpetuae donavit munera vitae
  Buſchius, Aonio vota probante choro.
Quare, age, de tanto (ne ſis inamabile nomen)
  Munere iam vati ſis bene grata tuo.

Inter tot laudes, quibus Lipſia noſtra annis abhinc ducentis et ultra ornata fuit, iam tum praecipua ingenii gloria eminebat, quam in hunc usque diem ferme ad miraculum tuetur. Quod ne patriae amore dixiſſe videamur, non erit ab hoc inſtituto alienum, teſtem Gallum (quae gens in laudibus Germanorum memorandis alioquin parciſſima,) in medium producere. Eſt is Abbas ARCHIMBAVD, qui in libello, *Nouveau Recueil de Pieces Fugitives*, (a) dum texit elogium G. G. LEIBNITII, Lipſiae nati, ita loquitur: *Il etoit né à Leipſik, ville ou les ſciences ſont*

(a) *Tom. III p.* 145.

ſont cultivées avec tant de ſuccès et ou il ſemble que l' on en prenne le gout des le berceau; additque praeterea in Nota: *Le fameux Iournal de Leipſik, commencé en 1682 et continué depuis ce temps là ſans interruption ſous le titre d'* Acta Eruditorum, *a donné un nouveau luſtre à cette ville.*

DISSERTATIO XXV.
DE
VETVSTISSIMO ET APVD OMNIVM AETATVM GENTES RECEPTO SATYRARVM VSV.

QVanta vis inſit Satyrae, etiam acerbiſſimae, et quae ad convicia proxime accedit, ad morum emendationem, nullo non tempore compertum eſt. Nam, cum nemo tam perditus, ſuaeque exiſtimationis prodigus ſit, quin, ſi cetera perdat, famam tamen ſervare meminerit, nihil magis certe pungit flagitioſos, quam ſi ſua ſcelera in apricum produci, et palam proſcindi, ſentiant. Itaque Romani quoque veteres, vel ſub imperio Principum, indulgentia uſi ſunt ſingulari tum in eos, qui ipſorum Imperatorum ac ſum-

ſummorum in Republica virorum vitia ſcriptis (ut SENECA in elegantiſſima Satyra, quam *Apocolocyntoſin* (a) vocat, Claudii, PETRONIVS in *Coena Trimalcionis*, (b) Neronis, HORATIVS, IVVENALIS, et PERSIVS, aliorum) tum et in hos, qui publica voce in maxima celebritate inceſſerunt. Quid magnificentius olim ſolenniusve triumpho Romano, ſive pompam ovantium ac tripudiantium, ſive incredibilem ſpectatorum turbam, ſpectes? At quanta impudentia milites in ipſum Imperatorem, cuius currum triumphalem ſequebantur, incondita carmina et dicteria iocularia iactabant? Iſti nimirum Iulio Caeſari, de Gallis triumphanti, acclamabant:

Gallias Caeſar ſubegit, Nicomedes Caeſarem;
Ecce Caeſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias,
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Caeſarem; (c)

ite-

(a) Vid. F. C. NEVBVRII *verſionem eius vernac. Lipſ.* 1728, 8, *in Praef.*

(b) Conf. *Hiſtoire ſecrette de Neron, ou le feſtin de Trimalcion, trad. de Petrone par Mr.* LAVAVR. Par. 1726, 12.

(c) SVETONIVS in *Iulio Caeſ. Cap. XLIX.*

iterumque:

> *Vrbani, servate uxores, moechum calvum adducimus,*
> *Aurum in Gallia effutuisti; hic sumsisti mutuum.* (d)

Quo spectat apprime locus DIONIS, (e) quem Latine hic exhibemus: *Admirationem augebat maxima Caesaris in militum dicacitate lenitas, qui et allectos ab eo in Senatum dictis mordebant,* (unde et alios in ea pompa impune sugillatos fuisse intelligimus,) *et ipsi Caesari inter convicia Cleopatrae amorem, consuetudinemque, quam is adolescentulus cum Bithyniae Rege, Nicomede, habuerat, exprobrabant; adeo, ut dicerent, Gallos a Caesare, Caesarem vero a Nicomede subactum. His ita iactatis, tantum ab indignatione abfuit Caesar, ut gavisus etiam sit, ea suos dicendi libertate uti.* Subiicit tamen DIO, aegrius paullo tulisse eundem Caesarem exprobratam sibi cum Nicomede consuetudinem; at, cum vellet eam, iureiurando etiam adhibito, excusare, iocis iterum ac risu fuisse a militibus exceptum. Diserte quoque DIONYSIVS HALICARNASSAEVS: (f) *Triumphorum deductio*

(d) *Id. in eod. Cap. LI.*
(e) *Lib. XLVII.*
(f) *Lib. VII p. 477.*

ctio arguit, Romanis iam olim receptos fuisse scurriles istos et satyricos lusus. Permittitur enim victores deducentibus iambos et dicteria iacere in clarissimos viros et ipsos Imperatores. Et, perdurasse hanc consuetudinem etiam sequentibus temporibus, MARTIALIS testatur in Epigrammate ad Domitianum: (g)

> *Consuevere* iocos *vestri quoque* ferre *triumphi,*
> *Materiam dictis nec* pudet *esse Duces.*

Enimvero haec praesentibus sua vitia per iocum obiectandi procax libido in ipsa etiam optimatum convivia recepta est, qua de re SENECA (h) refert his verbis: *Nos mancipiorum nostrorum urbanitas, in dominos contumeliosa, delectat, quorum audacia ita demum sibi in convivas ius facit, si coepit a domino: pueros quidem in hoc mercantur procaces, et eorum impudentiam acuunt, et sub magistro habent, qui probra meditate effundant.* Quo pertinent et PLINII (i) verba: *Scurrae, cinoedi, moriones, mensis inerrabant;*

R et

(g) *Lib.* I *Epigr.* 5; conf. F. B. FERRARIUM *de vet. Acclamat. et plausu Cap.* 10 et 11.
(h) *de Constant. Cap. XII.*
(i) *Lib. IX Epist.* 17.

et LIVII: (k) *Cum in publico epulatus, domum reverteretur, prosequentibus mollibus viris, qui ioci causa convivio celebri interfuerant.* Sed quid Romanos hic memoro? Nemo certe ignorat, quantae a multis Seculis autoritatis apud omnes fere gentes moratiores, in aulis praesertim Principum, fuerint homunciones isti, quibus a dementia sua privilegium quasi concessum est, ut spectatissimi cuiusque viri mores revelent, ac liberrime traducant. Neque his immorabimur diutius, qui id tantum probare constituimus, quod ferendam semper iudicaverint prudentiores satyram ac linguae quandam petulantiam, dummodo recte simul consuleretur in universum Reipublicae, ac vitia non modo civium, verum et optimatum, et eorum, qui ad clavum sedent, coercerentur ac emendarentur. Nulla vero gens, ut cogitandi et sentiendi, quod velit, ita et publice effutiendi scribendique, libertatem aeque amat, ac Britannica, quae quotidie aliquid parit novae satyrae, qua perstringuntur in aulis primicerii, nec optimis Regibus parcitur. Nihil iam dicam de insana plebis inconditae licentia, qua fit, ut infimus quisque et abiectissimus, in Thamesi navigans, praetervehentes foe-

(k) *Lib. XXXIII.*

foeminas nobilissimas, immo Principes, impudentissimis conviciis impune lacessat, aucturus etiam iniurias, nisi illae hilari vultu velut adhinniverint; illud magis mireris, quod in hoc Regno (secus est in libera Republica) ne leges quidem ullae reperiantur, quibus linguae calamive dicacitas coerceri satis queat. Cui non notus MISTIVS? qui continuo in Diariis suis summos Viros satyrico sale perfricat, et, quamvis poenas subinde dederit, (leviores quidem, quam par erat pro delicti atrocitate,) semper tamen ad vomitum redit. Et, licet non negem, cordatiores nonnullos effraenem hanc licentiam detestari, fatendum tamen, Anglos in universum indulgentiores esse in satyrae scriptores, ac facile pati, ut publice sugillentur, qui publice peccant. Quod cum ita sit, nemo mirabitur, in ipsis Angliae Academiis e longo tempore receptum fuisse, ut in Promotionibus aliisque Actibus solennioribus, feriis ab, solutis, finem facerent ludicra, liceretque tum Iuveni cuidam studioso ingenii ac linguae paullo petulantioris, quem *Terrae Filium*, ideo forte, quod, velut subito e terra natus, inter commilitones prorumperet, dicere fuerunt, in praesentes Patres Academiae conscriptos, Professores, Collegiorum Praesides, aliosque

que viros gravissimos, si quid admisissent, quod vel prudentiae, vel honestatis, legibus repugnaret, publice satyram exercere, eosque bene depexos dare, modo id fieret ingeniose atque circumspecte, ita, ut in ius vocari ideo procax iuvenis non posset. Relatum memini, cum Oxonium ante annos hos fere triginta accessissem, paullo ante in simili Panegyri *Terrae Filium* tum alios praestantes viros, tum inprimis Bibliothecarium Bodleianum, (quem non nominabat quidem, etsi nemo ignoraret, virum celeberrimum, THOMAM HYDE, peti, qui et Catalogum huius Bibliothecae, scriptaque de religione Persarum, de Scachiludio, aliaque elucubratissima, vulgavit,) acerbissime exagitasse, quod senex decrepitus iuvenculam haud optimae famae e theatro scenico Londinensium in torum nuper vocasset; neque tamen hunc ausum fuisse lege contendere adversus lepidum Oratorem, ne forte Bibliothecarii munere excideret, quod probe sciret, ex instituto THOMAE BODLEII, fundatoris, Bibliothecae praefectum uxoratum esse omnino non debere. Etsi vero aliquot abhinc annis prope exoleverit mos ille, (alioquin non prorsus improbandus, si intra limites stetisset, quod ad eos, qui aliis exemplo esse

esse debent, in officio continendos spectaret,) maluerintque Patres Academiae Oxoniensis carere omnino publicis Actibus, quam pati diutius, ut se omnibus deridendos propinaret homo lasciviens, et ad criminandum promtus; inventus tamen est, qui id sibi negotii datum putaret, ut quasi novus *Terrae Filius* publicis schedis, bis hebdomatim editis, naevos Academiae Oxoniensis revelaret, et quorundam in ea Professorum ignaviam ac fastum castigaret; quae deinde iunctim duabus Partibus recusae sunt sub titulo: *Terrae-Filius: or the secret History of the Vniversity of Oxford in several Essays. Lond. 1726, 8.* Non erit abs re, ex hac Satyra pauca quaedam, quae nobis notatu digniora visa sunt, cum Lectore nostro communicare. (l) Aegre fert ante omnia Autor ille anonymus, quod ii, qui albo Academiae inscribi cupiunt, si decimum sextum aetatis annum attigerint, iurare cogantur, se Statuta Academiae et consuetudines, in ea receptas, diligenter observaturos. At illa, vasto volumine contenta, nec ante, quam iuraverit, nec post iuramentum praestitum, legit quisquam; et sunt re vera ita comparata, ut vix accommodari possint horum temporum conditioni;

 quod

(l) *P. I p.* 12 *seq.* Conf. *p. 94.*

quod vel ex eo patet, quod in iis ipsis Statutis celebrationi missae sedulo interesse iubentur, quam tamen iam pridem in Anglia publica lege abrogatam constat. Inde in Collegium quoddam admissi, novo iureiurando adstringuntur de servandis singularibus eius Statutis, quae tamen Academicis illis plurimis in locis adversantur. (m) Qui sedecim annis minores in Academiam veniunt, ab omnis iurisiurandi, etiam fidelitatis Regi praestandae, vinculo liberi sunt, nec eo posthac unquam, etsi adultiores facti, obstringuntur, nisi forte adspirent ad honores Academicos: unde fit, ut multi inter Anglos, nulla se lege ad obedientiam Regi praestandam obligari, sibi persuadeant. (n) Iubent etiam Statuta Academiae Oxoniensis, ut *Aristotelem, totamque Peripateticorum doctrinam, pro virili defendere teneantur* Alumni; nec alias, quam Aristotelicas, theses in publicis velitationibus proponere, integrum est. At, cum nonnulli hoc tempore inter Oxonienses rectius sapere coeperint, nihil se delinquere credunt contra Statuta, si aliter sentiant publice, aliter privatim. Maiori tamen cultu, quod obiter addendum censemus, Philosophum prosequuntur

(m) *P. 1 p.* 16.

(n) *p.* 120.

tur Cantabrigienſes, apud quos adhuc mos obtinet, (obtinebat certe, cum inter ipſos verſarer,) ut in Collegio quodam, cuius quidem nomen haud amplius ſuccurrit, e iunioribus aliquis, inter prandendum in genua procumbens, praelegat textum e libris ARISTOTELIS. Sed redeo ad Statuta Academiae Oxonienſis, quae (o) cum inter alia iubeant, quotannis ſemel ad minimum Actum publicum inſtitui, obſervat Autor, inde ab A. 1712, quo pax facta, celebratum fuiſſe omnino nullum, et ne tum quidem admiſſum *Terrae Filium*, Patribus conſcriptis nimis quidem ſuſpectum. In iisdem (p) de Lectionibus Profeſſorum publicis quatuor Facultatum *Tit IV Sect. I ſeq.* diſtincte, quaenam, a quibus, quo loco ac tempore, qua ratione atque methodo, quibus auditoribus, inſtituendae ſint, docetur. Enimvero ex viginti Lectionibus vix tres aut quatuor, easque minime ad modum praeſcriptum, haberi, diſerte teſtatur Noſter, (q) graviterque indignatur, a Candidatis, e. g. Baccalaureatus, requiri, ut ſecundum Statuta primo anno, quo Academiam ingreſſi ſunt, ſcholis Grammaticis et Rhetoricis,

(o) *P. II p.* 100.
(p) *p.* 99.
(q) *p.* 64 *ſeq.*

eoque exacto, Logicis atque Ethicis, sedulo ac diligenter interfuerint, et, quamvis nullae utique huius generis Lectiones habeantur, adhuc tamen eosdem adigi, ut submisse petant, sibi dispensationem fieri ob neglectas Lectiones publicas, atque ita suo marsupio aliorum luant ignaviam. Neque enim ipsis parcit Professoribus, inter alia narrans, (r) Professorem quendam, quem tempore feriarum singulis Iovis diebus publice praelectionem Theologicam habere conveniebat, post longam moram ingressum demum Auditorium, tres praeter spem omnem reperisse Auditores, cum ante ne unicum quidem habuisset; itaque in area ter circumspatiatum, tandem iterum excessisse, his dictis: *Magistri, vos non estis idonei Auditores; praeterea, iuxta legis Doctorem Boucher tres non faciunt collegium--valete.* Studiorum rationem, quam Praesides Collegiorum suis commendant alumnis, minime probat. (s) Tantum enim abest, ut eos incitent ad eas literas, quae usum in vita humana habent, Mathesin puta, Philosophiam, Ius naturae, Historias, ut unam potius inculcent Patrum lectionem, quos si pro-

(r) *P. I p. 56.*

(s) *p. 12.*

ſi probe edidicerint, tum demum ſummum eruditionis culmen conſecuturos, pollicentur, ceteros omnes alto ſupercilio deſpicientes. Nec tacet Noſter, quibus artibus illorum benevolentiam aucupari queant iuvenes, ſuadetque, ut non modo ipſos, ſive procul conſpectos, ſive cominus compellatos, quam profundiſſimo cultu, ſummaque religione, proſequantur, verum etiam ſtudioſe ſibi concilient amanuenſes eorum. (t) Dici enim non poſſe, quanta horum ſit apud dominos autoritas, quanta in gravandis, vel ſublevandis, alumnis vis ac poteſtas. (u) Quod vero ad honores Academicos attinet, maximam utique in iis decernendis conferendisque cautionem adhibere videri Oxonienſes, non diffitetur Autor, teſtatus quippe, arceri non modo ab his ſacris, quisquis vel ob leviſſimam culpam *libro nigro*, (x) quem vocant, quemque ſervant Academiae Procuratores, nomen ſuum inſcribi meruerit, (y) verum et eos, qui alicuius e Profeſſoribus aut Senioribus indignationem, ſive iure, ſive iniuria, incurrerint, adeo, ut, ſi quis

(t) *p.* 70 *ſqq.*
(u) *P. II p.* 13, 22.
(x) P. *I p.* 128.
(y) *P. II p.* 72.

quis ex illis primo iterumque altero anno petenti non annuerit, eoque ab honore, quem ambit, eum deiecerit, ne causam quidem addere; quod si vero etiam tertio petitionem renovaverit Candidatus, aperire quidem causam, sed non probare, teneatur, quia, ut dicere solent, delator *vir* est *fide dignus*. Docet tamen Noster, quantopere consuetudo illa repugnet aequitatis legibus, quantumque ex ea detrimenti quidam passi fuerint ante paucos annos, cum Torryani in Academia dominarentur. (z) Pariter, rigidissima illic examina institui, facile credas, (aa) cum intellexeris, eos, quibus cura examinis demandata est, (sunt autem duo in cuiusvis Candidati profectibus explorandis occupati,) iureiurando promittere debere, quod indignis industriae testimonium nequaquam praebituri, dignis vero haud denegaturi sint. Observat autem Autor, (bb) licere Candidatis, si Procuratori, penes quem est Examinatorum electio, coronatum numeraverint, eos sibi ipsis deligere, de quorum favore et indulgentia securi esse possunt. Praetera solent Candidati die examen antecedente Examinatores suos coe-

(z) *P. I p.* 28.
(aa) *P. II p.* 66.
(bb) *p.* 68.

coena opipara excipere, eosque bene pastos potosque, immo et aureo donatos, dimittere; cui hospitalitati tantam saepe vim inesse, Autor credit, ut etiam iuratis testimonium praestantissimum facile extorqueant mediocris doctrinae Candidati. Vt taceamus, (cc) certa Compendiola quaestionum ac responsionum in omnium manibus versari, quae si vel paucis ante examen diebus edidicerint, qui ad honores hos contendunt, non habent, quod dubitent, rem ex voto successuram.

(cc) *p.* 67.



FRI-

FRIDERICI OTTONIS MENCKENII DE ROMANORVM VETERVM STIPENDIIS MILITARIBVS DISSERTATIO.

I.

STipendii vox, a ſtipe pendenda (a) dicta, vaga iam, et ad quodvis beneficiorum

(a) VARRO Lib. IV de Lingua Latina: *Stipendium ab ſtipe dictum, quod aes quoque ſtipem dicebant. Nam quod aſſes librae pondo erant; qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant, id eſt, componebant, quo minus loci occuparent. A ſtipando ſtipem dicere coeperunt, ſtipare ab στείβειν fortaſſe, Graeco vocabulo.* Idem *Lib. II de Vita Populi Romani: Stipendium appellatur, quod aes militi ſemeſtre, aut annuum, dabatur.* Similiter VLPIANVS *Lib. XVII ad Edict. in l. 27 D. d. V. S.: Stipendium a ſtipe appellatum eſt, quod aes ſtipes, id eſt, modica aera, colligatur.* Et ISIDORVS *Lib. XVI Etymol. Cap. 17: Stipendium a ſtipe pendenda nominatum. Antiqui enim appendere pecuniam ſoliti erant magis, quam annumerare.* Non eſt, quod penitius ſcrutemur vocis originem, et, quid *ſtipis* vocabulo intellexerint veteres, operoſius inveſtigemus. Sufficiat nobis, vel ex FESTI *Lib. XVI de Verb. Sign.* conſtare, *ſtipem* idem fuiſſe antiquis, quod nobis *nummus.* Ita enim ille: *Stipem eſſe nummum ſignatum, teſtimonio eſt id, quod datur ſtipendi-*

rum genus traducta, angustissimos olim limites habuit, et, si prima eius incunabula spectemus, ut plurimum (b) mer-

um militi etc. Dictum fuit etiam *Salarium*, de quo PLINIUS in *Hist. Nat. Lib. XXXI Cap.* 7: *Honoribus etiam militiaeque interponitur* (sal), *salariis inde dictis, magna apud antiquos autoritate.* Habet eandem vocem, sed a *stipendio* distinguit, IUL. CAPITOLINUS in *Clodio Albino*, unde sibi persuasere acutiores Critici, *salario* non nisi ea, quae ad victum pertinent, *stipendio* pecuniam, intelligi. Nota etiam est *tributi* appellatio, quam ULPIANUS habet *l. c. Stipendium etiam tributum appellari, Pomponius ait. Et sane appellatur ab intributione tributum, vel ex eo, quod militibus tribuatur;* nec non *attributi*, ut patet ex VARRONE *l. c.*: *Id, quod attributum erat, aes militare;* item *aeris*, quod docent PLAUTI illa:

Ibi ad postremum cedit miles, aes petit;
Impransus miles adstat, aes censet dari;

et alia VALERII MAXIMI *Lib. II Cap.* 7 §. 15. Denique *obsonium* dicitur, ex Graeco POLYBII *Lib. VI Cap.* 37 derivatum. Habet et Glossarium vetus: *Stipendium* ὀψώνιον στρατιώτικον, μισθὸς στρατιώτικος.

(b) Non me fugit, tributum etiam, seu vectigal, a victo populo victori pendi solitum, *stipendii* nomine scriptoribus antiquis, CAESARI *Bell. Gall. Lib. I Cap.* 44 §. 6, SVETONIO in *Iul. Caes. Cap.* 25, TACITO *Hist. Lib. IV Cap.* 74 §. 2, CURTIO *Lib. V Cap.* 8 §. 16, plurimisque aliis, appellari. Nec incongrue; cum, si vocis originem spectes, quicquid nummorum alteri titulo quocunque penditur, dici stipendium possit. In-

mercedem militi ad ſuſtinendum militiae onus datam hoc vocabulo expreſſere veteres. Illis enim, qui pro patria armis cingerentur, et fortia hoſti pectora obiicerent, ut quoddam quaſi honeſtiſſimi laboris praemium decerneretur, nec ad vivendum neceſſaria deeſſent ſubſidia; prudenti utique conſilio Romani veteres non de victu tantum et frumenti copia, ſed de nummorum etiam iuſto quodam ſtipendio, militi proſpexerunt. Cuius cum non eadem omni tempore fuerit ratio atque indoles, ſed pro imperantium arbitrio nunc creverit in immenſum, nunc plurimum decreverit; non iniucundum fore Lectori putamus, ſi varias eius viciſſitudines, modosque varios, plana iam et breviuſcula oratione enarremus.

II.

Antiquiſſimis Vrbis conditae temporibus indignum putavit miles Romanus, mercenariam patriae operam praeſtare, ſed pro laribus ac focis quisque ſuis, pro patria, pro civitate, gladium ſtringebat, id officii ſui ratus, quod ſibi, et patriae, daret. (c) Itaque, penitus ignoratum aerarii

de *ſtipendiarios milites, ſtipendiaria oppida, ſtipendiarias provincias,* hoc eſt, quae ſuum quotannis vectigal ſolvunt, ſaepiſſime apud veteris aevi ſcriptores legas.

(c) FESTVS *de Verb. Signif. Lib. XIV: Privato*

rarii ſtipendii nomen fuiſſe piſcis Romanis, haud eſt in dubio; frumentum tamen, quod ſub ſtipendii voce haud continetur, (d) iis negatum, vix usquam reperias. (e) Miſellam militis Romani vitam

ſumtu ſe alebant milites Romani, antequam ſtipendia mererentur, quod in conſuetudine fuit paene ad idem tempus, quod fuit paullo ante, quam Romana civitas capta eſt a Gallis, a quo tempore ſine publico ſtipendio milites non fiebant.

(d) Diſtinguit has voces SALLVSTIVS in *Fragm. Lib. III Hiſt.*: *Vtrum cenſetis, me exercitum ſine frumento et ſtipendio habere poſſe?* Et ibidem: *Galliae exercitum ſtipendio frumentoque aluit*; nec non in *Fragm. Orat. Cottae ad Populum*: *Imperatores Hiſpaniae ſtipendium, milites arma, frumentum, poſcunt.* Similiter haec vocabula ſeiungit VALER. MAXIMVS *Lib. VII Cap.* 6 §. 1: - - *Quaerentibus, quod neque ſtipendium, neque frumentum, claſſibus eorum - - praeberet.* Non erat igitur, cur diceret LIPSIVS *Dial. XVI de Milit. Rom.* p. 173: *Stipendium triplex, in pecunia, frumento, veſte.* Vide etiam *Elector.* eius *Lib. I Cap.* 2. Neque tamen ipſos ſcriptores veteres hic accuratiſſime ſemper locutos, ex vocabulo *annonae*, proprie ad frumentum pertinente, patet, quo VEGETIVS, aliique, ſed ii recentiores tamen, aes militum mercenarium, ſignificarunt ſaepiſſime. Et *Codicis Iuſtinianei Lib. XII Titulus* 38, quem *de Erogatione militaris annonae* inſcripſit TRIBONIANVS, de cibariis et pecuniis militaribus promiſcue agit.

(e) Frumenti militibus conceſſi exempla vide apud

vitam diceres, nisi fortissimus quisque opimam ex bello praedam sperasset.

III.

Primum vero, post gestum cum Volscis bellum, et Anxur oppidum expugnatione captum, anno V. C. 347 militi a Senatu stipendium decretum, memorat LIVIUS Lib IV Cap. 59: *Additum deinde omnium maxime tempestivo Principum in multitudinem munere, ut ante mentionem ullam plebis Tribunorumve decerneret Senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset.* De solo haec pedite intelligenda sunt. Eques enim anno demum 350 stipendio mereri coepit. *Equiti*, ait LIVIUS *Lib. V Cap. 7, certus numerus aeris est assignatus. Tum primum equis equites merere coeperunt.*

IV.

Haec de origine stipendii LIVIUS. Quale autem, quantumque tunc fuerit, aliunde hauriendum est. Illud dubium non habet, nummos, militi mercedis loco datos, aereos fuisse; (f) sed, quantam

DION. HALICARN. *Lib. V* et *IX*, LIVIUM *Lib. II*, et alios.

(f) En verba Autoris incerti, qui de rebus belli-

tam quisque aeris portionem acceperit, illud magis est in controversia. Parum concinne ANT. AVGVSTINVS (g) ex verbis TACITI *Annal. Lib. I Cap. 17*, mox proferendis, quae non ad antiquiora, sed ad Augusti, tempora spectant, denos quotidie a priscis Romanis asses militi datos, colligit. Meliora nonnullis suppeditare PLAVTVS dicitur in *Mostellaria Act. II Sc. 1*:

S *Vbi*

cis scripsit sub Theodosio, Imperatore: *Potentia regalis, pro licentia speciem suam tantum in auro argentoque signavit; quae pro reverentia in iure, nullis usibus proficiens, ad honorem regium sacrata permansit. Aeris autem materia, quae prae copia vilior erat, ad dona militaria, et varia populorum commercia, signabatur.* Sed pertinent haec ad recentiora tempora. De antiquioribus hoc minus dubii ea res habet, quo certius constat, non ante victoriam de Pyrrho reportatam argentum a Romanis signatum, auri vero post Carthaginem demum et Corinthum devictas usum invaluisse. Quam in rem Autorum testimonia proferri, vix opus iudico. Addo saltem illa OVIDII *Lib. I Fastorum*:

Aera dabant olim, melius nunc nomen in auro est,
Priscaque concessit victa moneta novae.

(g) *De legibus p.* 1285 *Thesauri Graev. T. II.* Sed iam ante AVGVSTINVM in eodem errore versatus est ALEXANDER AB ALEXANDRO *Lib. VI Dier. Genial. Cap.* 22 *p. m.* 712.

Vbi ſunt iſti plagipatidae, ferritribaces viri?
Iſti, qui trium nummorum cauſa ſubeunt ſub falas?
Vbi aliqui quindenis haſtis corpus transfigi ſolent.

Vbi *nummum* pro *aſſe* dici PLAVTO, atque trium adeo aſſium fuiſſe PLAVTI tempore diurnum militum Romanorum ſtipendium, ſecure affirmant. At diverſa ab his afferre videtur POLYBIVS: (h) Ὀψώνιον δ' οἱ μὲν πεζοὶ λαμβάνουσι τῆς ἡμέρας δύο ὀβολοὺς, οἱ δὲ ταξίαρχοι διπλοῦν, οἱ δὲ ἱππεῖς δραχμήν. Graeca hic computandi nummos ratione utitur POLYBIVS; unde maxima orta ſunt diſſidia interpretum, qui haec POLYBII cum PLAVTI verbis combinare laborarunt. LIPSIVS, (i) duobus obolis Graecis, ait, pretium fuiſſe trium aſſium Romanorum cum triente. At erudite contra eum VINCENTIVS CONTARENVS (k) oſtendit, non tribus,

(h) *Lib. VI Cap.* 37.
(i) *Elector. Lib I Cap.* 2, et *de Milit. Rom. Lib. III Dial. XVI.* Conf. etiam VALTRINVS *de Milit. Rom. Lib. III Cap.* 15, LAZIVS in *Comment. R. R. Lib. XI Cap.* 14, HVGO *de Milit. Equeſtr. Lib. XI Cap.* 16, et PITISCVS *ad Suet. Iul. Caeſ. Cap* 26.
(k) *De Militari Roman. ſtipendio p.* 1518 *Theſ. Graev. T. X.*

bus, ſed quinis, aſſibus Romanis aeſtimandos eſſe binos Graecorum obolos, atque adeo difficile combinari poſſe diverſiſſimas horum Scriptorum ſententias. Mihi quidem ſimillima vero proferre videntur, qui, PLAVTO ſtipendium, non Romanorum, ſed Graecorum, memorari, et nummum hic, ut in aliis PLAVTI locis, pro didrachmo, qui valeat duos denarios, dici, atque adeo de Romanorum ſtipendio nihil prorſus conſtare ex PLAVTO poſſe, contendunt. (l) Sed quis controverſiam dirimat, iam olim inter tot ac tantos viros agitatam? Nobis ſufficiat, ex hac Scriptorum diverſitate cognoſci, parvum principio et exiguum, poſtea paullo lautius, fuiſſe militum Romanorum ſtipendium.

V.

Non autem ſola tunc temporis pecunia

 data,

(l) Vid. ERYC. PVTEAN. *de Stipend. milit. Cap.* 6, IOSEPH. SCALIGER *de Re Num. p.* 13 *et* 16 *ſeq.* SALMASIVS *in Not. ad Plauti Epid. I,* 52, IO. FRID. GRONOVIVS in *Not. ad Plauti Truc. II,* 7, 10. Conf. etiam RAPH. HERM. SCHELIVS in *Not. ad Polyb. Cap.* 3. Sed quam vellem, hi ipſi melius inter ſe concinerent, nec tantis tricis involuta nobis dicta ſua proponerent.

data, ſed cum pecunia veſtes etiam. Vnde PLVTARCHVS refert, (m) primam a C. Graccho legem latam, ut, quae antea ſtipendio imputari conſueſſent, militum veſtes, gratis in poſterum ex publico miniſtrarentur. Mox tamen abrogatam hanc legem, ex TACITO, (n) ſed ſequentibus Seculis revocatam, ex VEGETIO, (o) et Codicis Iuſtinianei *Lib. XII Tit. 40 de Militari veſte*, coniicere licet.

VI.

Militum non eadem fuit omnium conditio, ſed, quod POLYBII verba, modo adducta, docent, pedites binos obolos, duplum centuriones, equites Triplum, (p) id eſt, drachmam, Tribuni, quod coniiciunt nonnulli, quadruplum, (q) cepe-

(m) in *Vita C. Gracchi.*

(n) *Lib. I Annal. Cap.* 17: - - *hinc veſtem, arma, tentoria, hinc ſaevitiam centurionum, et vacationes munerum, redimi.*

(o) *Lib. II Cap* 19: *Incongruum videbatur, Imperatoris militem, qui veſte et annona publica paſcebatur, utilitatibus vacare privatis.*

(p) LIVIVS *Lib. VII: Aeque impudens poſtulatum fuit, ut de ſtipendio equitum (merebant autem ea tempeſtate triplex) aera demerentur.*

(q) Eſt haec LIPSII *de Milit. Rom. l. c.*

perunt. Equiti ut tam ſplendidum daretur ſtipendium, autor fuit Cn. Cornelius, Tribunus militum, ſicut ex LIVIO (r) patet. Neſcio, an et ceteris ſtipendii mercede praelati fuerint, ut quidam (s) volunt, duplicarii illi, Graecis (t)

 διδραχμοι

p. 178, et HARDVINI *ad Plin. Hiſt. Nat. Lib. XXXIV Cap.* 3, coniectura, aut, quod verius dixerim, firma ſententia, cui occaſionem dedit unus unius APPIANI locus *Lib. II de Bello Civili p. m.* 103, ubi, militibus gregariis datas a CAESARE, teſtatur, quinquies millenas drachmas Atticas, duplum centurionibus, ac praefectis alarum quadruplum. Sed dubito, an his APPIANI verbis multum adeo ineſſe roboris putandum ſit, cum non de ipſo ſtipendio, ſed donativo quodam ſingulari, quod pro arbitrio datum eſt a CAESARE, ipſi ſermo ſit. Maius vero quadruplo Tribunorum ſtipendium fuiſſe, quidni ſuſpicer? cum ſolenne ſit Scriptoribus antiquis, ingentis pretii res quasque cum ſtipendio Tribunorum comparare, idque fere in proverbii formulam abierit. Ita PLINIVS *Lib. XXXIV Hiſt. Nat. Cap.* 3: *Nec pudet Tribunorum militarium Salariis* (candelabra) *emere?* Et IVVENAL. *Sat. III v.* 132:

. . . Alter enim, quantum in legione Tribuni
Accipiunt, donat Calvinae vel Catienae.

(r) *Lib. V Cap.* 18.

(s) R. H. SCHELIVS *l. c.* et G. V. NIEVPOORT in *Compend. Antiqu. Rom. Sect. V Cap.* 5 §. 100 *p.* 489.

(t) POLLVX *Lib. IV Cap.* 22 *Segm.* 265.

διδραχμοι ὁπλῖται dicti, et LIVIO (u) memorati, qui, ob res feliciter et praeclare in bello gestas, duplici a patribus frumento, aere neutiquam duplici, donati leguntur apud LIVIVM, (x) VARRONEM, (y) et VEGETIVM. (z)

VII.

Annuum, an diurnum, fuerit, dum stetit Respublica, solvendis stipendiis tempus constitutum, nondum expedita satis res est. Vtrumque puto priscis Romanis solenne fuisse. Diurnum vix neget, (aa) qui vera credit, quae loco supra prolato POLYBIVS (*Plautina* enim iam non moramur,) docet, annui autem mentionem loco plus uno LIVIVS (bb) iniicit. Quin DIODORVS SICVLVS, ab initio statim fuisse annua, verbis commemorat hisce: Τότε πρώτοις ἐπεψηφίσαντο Ῥωμαῖοι

(u) *Lib. II Cap.* 59.
(x) *Lib. VII et XXIV* passim.
(y) *Lib. IV de Lingua Latina*: *Duplicarii dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria ut darentur, institutum.*
(z) VEGETIVS *Lib. II Cap.* 7 *armaturas duplares* dicit, *quae binas consequuntur annonas; simplares, quae singulas.*
(aa) Negat tamen SCHELIVS *l. c. p.* 1192.
(bb) *Lib. VIII Cap.* 2, *et Lib. IX, X, et XXIX*, passim.

Ῥωμαῖοι τοῖς στρατιώταις καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς ἐφόδια διδόναι χρήματα.

VIII.

Haec fuit ſub Conſulum imperio militaris munificentiae facies, nec, mutatam ante Imperatorum dominationes, usquam legimus. Primus autem ex illis, qui ſummo in Rempublicam Romanam imperio potiti ſunt, IVLIVS CAESAR, ne in novo, quod agitabat, dominationis faſtigio ipſum fiducia, in militum amore poſita, fruſtraretur, callide et prudenter de lautiore, quam huc usque ceperant, iis ſtipendio proſpexit. *Legionibus*, ait SVETONIVS, (cc) *ſtipendium in perpetuum duplicavit.* Igitur in locum quinorum aſſium deni a CAESARE, ſeu denarius, (etſi ſint, qui, denarium plus valere denis aſſibus, exiſtimant, (dd)) ſubſtitutus eſt. Vt adeo multum fallatur AVGVSTINVS BABELONIVS in *Notis ad hunc Suetonii locum*, ubi, neglectis prorſus, quae POLYBIVS tradidit, ſolis PLAVTI verbis, lubricis multum ac incertis, inhaerens, ad

(cc) in *Iul. Caeſ. Cap.* 26.

(dd) His vel PLINIVS in *Hiſt. Nat. Lib.* XXXIII *Cap.* 3 ſatisfaciat: *In militari ſtipendio ſemper denarius pro decem asſibus datus.*

ad ſenos ſaltem aſſes provectum a CAESARE ſtipendium, exiſtimat.

IX.

Iſtam a CAESARE definitam mercedem militarem nec augere primi Caeſares, nec diminuere, auſi ſunt. Quamvis enim ex verbis SVETONII: (ee) *Quicquid ubique militum eſſet, ad certum ſtipendiorum praemiorumque formulam adſtrinxit Auguſtus: definitis pro gradu cuiusque et temporibus militiae, et commodis miſſionum*, colligant quidam, (ff) novum militi beneficium ab AVGVSTO additum; docte tamen non minus, quam ingenioſe, oſtendit PVTEANVS, (gg) *ſtipendia* hic non de mercede militari, ſed de annis militiae, quibus cuique merendum ſit, intelligi debere, ſicut et praemia SVETONIO nihil aliud ſint, quam illa miſſionum commoda, quorum facta eſt ultimis verbis mentio. (hh) Iſta loquen-

(ee) in *Auguſto Cap.* 49.

(ff) In his video mirorque LIPSIVM eſſe *de Milit. Rom. Lib. V Dial. XVI p.* 177, et *Elect. Lib. I Cap.* 2.

(gg) *l. c. Cap.* 9 *et* 16.

(hh) Optime haec SVETONII verba illis DIONIS *Lib. LIV p.* 539 illuſtrantur: Διέταξε τά τε ἔτη ὅσα οἱ πολῖται στρατεύσοιντο, καὶ τὰ κτήματα, ὅσα παυσάμενοι τῆς στρατείας ἀντὶ τῆς χώρας ἣν ἀεὶ ποτὲ ᾔτουν λήψοιντο.

quendi ratio vix mira cuiquam et inusitata videri potest, cum in propatulo sit, veteres milites ex ipso stipendiorum, quae ceperant, numero annos militiae suae aestimasse, atque adeo vocem *stipendii* pro ipso militiae tempore usurpatam. Sic CAESAR (ii) *legionem octavo stipendio functam*, et TACITVS (kk) *sena dena* et *vicena stipendia meritos* commemorat. (ll) Inde scilicet frequentissimae Scriptorum formulae, *stipendia facere*, (mm) *conficere*, (nn) *peragere*, (oo) *mereri*, (pp) *stipendiari*, (qq) *homo nullius stipendii*, (rr) *homo emeritis stipendiis*, (ss) et similes complures, unice originem suam ducunt. Pertinet huc etiam lapis

(ii) *De B. G. Lib. VIII Cap. 8.*

(kk) *Annal. Lib. I Cap. 36.*

(ll) Similiter PLAVTVS in *Mostellaria*: *Vnum ubi emeritum est stipendium.* Cuius generis loca bene multa suppeditant LIVIVS, TACITVS, VEGETIVS, et Iureconsulti veteres.

(mm) SALLVST. in *Iugurth. Cap. 63.*

(nn) Id. in *Orat. de Republ. ordin.*

(oo) VALERIVS MAXIMVS *V, 5, 4, et VII, 7, 1.*

(pp) Id. *IX, 7, 2.*

(qq) PLINIVS *Hist. Nat. Lib. VIII Cap. 19.*

(rr) SALLVST. *Bell. Iugurth. Cap. 85.*

(ss) Idem ibidem *Cap. 84*, et in *Orat. de Republ. ordin.*

lapis antiquus militaris, quem producit SERTORIVS VRSATVS, (tt) militis Romani manibus ſacer, cui, praemiſſo nomine, inſcriptum fuerat: AN. XXV. STIP. VIII. h. e. Anno vitae quinto et vigeſimo, militiae octavo (obiit). Robur accipit ſententia PVTEANI ex TACITO, (uu) qui, *conqueſtas*, refert, *poſt obitum Auguſti cohortes Romanas, denis in diem aſſibus animam et corpus aeſtimari.* At deni iam ſub CAESARE aſſes dati; nihil igitur ab AVGVSTO additum, quippe quem et *ſtipendii inopia laboraſſe,* teſtatur PLINIVS. (xx)

X.

In eo tamen militum commodis proſpexit AVGVSTVS, qnod militare aerarium, cuius non auditum antea nomen fuerat, inſtituit, et ad id ſuſtentandum nova civibus Romanis vectigalia impoſuit. (yy) Nova haec vectigalia quae fuerint, et a quibus ſolvenda, ſolerter expoſitum a DIONE CASSIO. (zz) LIPSIVS (aaa) affert Inſcriptionem NERATII cuiusdam,

(tt) *De Notis Rom. p.* 550 *ſeq. Theſ. Graev. T. XI.*
(uu) *Annal. Lib. I Cap.* 16.
(xx) *Hiſt. Nat. Lib. VII Cap.* 45.
(yy) SVETONIVS *l. c.*
(zz) *Lib. LV. ad A.* 759.
(aaa) In *Not. ad hunc Suetonii locum.*

dam, huic aerario praefecti: L. NERATIO. C. F. VOL. PROCVLO. PRAEF. AERAR. MILITARIS.

XI.

Sub TIBERII imperio flagitarunt quidem Pannonicae cohortes, teste TACITO, (bbb) ut *denarius in posterum*, hoc est, seni deni asses (ita enim explicant interpretes) *diurnum stipendium foret*; sed frustra id a TIBERIO petitum est, qui, immitis ingenii homo, procrastinando omnia, et contraria clam agitando consilia, solebat civium suorum spem destituere. CLAVDIVS, ut militum gratiam conservaret, quorum opera ad summam imperii evectus fuerat, singulis quina dena sestertia promisit, *primus Caesarum fidem militis etiam praemio pigneratus.* (ccc) Id vero ad donativi singularis, quam stipendii, naturam, propius accedit. Ita et NERO primis imperii sui annis *bina nummum millia viritim manipularibus divisit*; (ddd) in eo tamen CLAVDIO fuit liberalior, quod et *sine pretio frumentum addiderit, quo ante ex modo annonae utebantur.* (eee) Mox autem

(bbb) *Lib. I Annal. Cap.* 17.
(ccc) Sunt verba SVETONII in *Claudio Cap.* 10.
(ddd) TACITVS *Lib. XV Annal. Cap.* 72.
(eee) SVETONIVS in *Nerone Cap.* 10. Adde testimo-

autem ſub NERONE in deterius ivere omnia, *penitusque exhauſtus hic et egens, ipſa militum ſtipendia et commoda veteranorum protrahere ac differre coactus eſt.* (fff) Secutos hunc ordine Imperatores ad DOMITIANVM usque, non invenio apud Scriptores, quidquam novaſſe in ſtipendio legionibus tributo.

XII.

Vltimus igitur primi poſt Chriſtum natum Seculi Imperator, DOMITIANVS, ſancitam a CAESARE de nummis militaribus legem infringere conatus eſt, et veteri ſtipendio ternos aureos annuos adiecit. *Addidit et quartum*, inquit SVETONIVS, (ggg) *ſtipendium militum, aureos ternos.* Locus iſte SVETONII, divi vix poteſt, quantum cruciaverit interpretes. (hhh) Pro

nium TACITI *Annal. XV*, 72, 1: *Quibus perpetratis, Nero, et concione militum habita, bina nummum millia viritim manipularibus diviſit, addiditque ſine pretio frumentum, quo ante ex modo annonae utebantur.*

(fff) SVETONIVS in *Ner. Cap.* 32.

(ggg) in *Domit. Cap.* 7.

(hhh) Multa ac diverſa de eo diſſerunt IVST. LIPSIVS *Elect. Lib. I Cap.* 2, et *de Milit. Rom. Lib. V Dial. XVI*, IS. CASAVBONVS *ad Lib VI Polybii*, IO. FRID. GRONOVIVS *de Pec. Vet Lib. III Cap.* 2, PVTEANVS *l. c. Cap.*

Pro *aureos ternos* LIPSIVS legit *aureis ternis*, cumque terni iam a CALIGVLA, ut ipſe perhibet, aurei militi in ſingulos menſes dati fuerint, quartum putat a DOMITIANO additum. Negat autem validiſſimis argumentis PVTEANVS, menſtrui ſtipendii hic mentionem fieri; negat etiam, trium aureorum ſub CALIGVLA menſtruum fuiſſe ſtipendium. Optime in ſenſum verborum inquirunt IO. FRID. GRONOVIVS et SCHELIVS, et, retenta communi lectione, ternos, contendunt, a DOMITIANO aureos additos fuiſſe novem illis aureis, qui annuum re vera ſub Caeſaribus fuerant militum ſtipendium; quartum vero ſtipendium ea de cauſa dici ternos illos aureos, quod tribus antehac per annum vicibus diſtinctis illud novem aureorum ſtipendium ſolvi conſueverit, quibus cum alii tres acceſſerint, quartum inde ſtipendium, ſeu quartum ſolvendi ſtipendii tempus, enatum eſſe. Multum roboris huic ſententiae addunt verba ZONARAE: *Καὶ τοῖς ϛρατιώταις τὴν μιϑοφορὰν ἐπηύξησε τάχα διὰ τὴν νίκην. πέντε γὰρ καὶ ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἑκάϛε λαμβάνοντος, ἑκατὸν ἐκέλευσε δίδοϑαι.* Nam, cum denarius, ſeu drachmae centum, valeant tres aureos, nec

10. GVIL. BVDAEVS *de Aſſe*, et R. H. SCHELIVS *l. c. Cap.* 3.

nec intelligi in loco ZONARAE, nisi de quadrimestri stipendio, possint, quod erudite ostendit GRONOVIUS *l. c.* hincque pateat, tria per annum stipendia exsoluta militi; nemini videri potest creditu adeo difficile, quartum a DOMITIANO additum stipendium, hoc est, quadrimestre in trimestre mutatum, et trimestri quovis spatio ternos militi aureos solutos. Inconsultam hanc dixeris DOMITIANI liberalitatem, cum ipse postea, ut immensis stipendiorum sumtibus obviam iret, de diminuendo militum numero consilia agitaverit. (iii)

XIII.

Servasse hanc stipendii legem, a DOMITIANO sancitam, sequentes etiam videntur Imperatores. De COMMODO clara satis sunt verba CAPITOLINI. (kkk) Sequioribus Seculis, sicut omnia ex perversa Imperatorum libidine pessime gesta sunt, ita ipsa etiam militum stipendia,

(iii) SVETONIVS in *Domit. Cap.* 12: *Exhaustus operum ac munerum impensis, stipendioque, quod adiecerat, tentavit quidem, ad relevandos castrenses sumtus, militum numerum diminuere;* et ZONARAS *de Domitiano*: Μεταμεληθεὶς δὲ τὴν ποσότητα ἐκ ἐμείωσε, τὸ δὲ πλῆθος τῶν στρατευομένων συνέσταλε.

(kkk) in *Commodo*.

dia, non dubium eſt, quin plurimis mutationibus fuerint obnoxia. De SEVERO AELIVS SPARTIANVS (lll) memoriae prodidit, *illum militibus tantum ſtipendiorum, quantum nemo Principum, dediſſe;* et ſtipendia maxima militibus donaſſe MAXIMVS dicitur CAPITOLINO. (mmm)

XIV.

Ceterum ſub Imperatoribus Praetorianae cohorti id datum fuit prae reliquo militum vulgo praerogativae, ut duplici mererentur ſtipendio, et binos diebus ſingulis denarios (CAESARIS ſcilicet tempore) acciperent. (nnn) Olim tempore Scipionis, ſicut ait FESTVS, (ooo) ſeſquiplex ſaltem accepere. Datum etiam nonnunquam integrae cohorti duplex ob bene geſta ſtipendium apud Scriptores occurrit. (ppp)

XV.

Hactenus diverſam ſub Republica et Impe-

(lll) in *Severo.*
(mmm) in *Maximo Cap.* 12.
(nnn) TACITVS *Annal. Lib. I Cap.* 17.
(ooo) *De Verb. Sign. Lib. XIV.*
(ppp) Duplex datum Scaevae centurionis cohorti a

Imperatorum dominatione ſtipendii militaris rationem vidimus. Supereſt, ut pauca de modo ac ritu ſolvendi ſtipendii dicamus. Nominatim ex *breviculis*, quibus nomina tam eorum, qui praelio interierant, quam qui ſalvi exinde evaſerant, inſcripta erant, (qqq) citabantur ad Quaeſtorem militum ſinguli, ut ſuam quisque ſtipendii portionem caperet. Apparet id ex verbis LIVII: (rrr) *Citati milites nominatim apud Tribunos, in verba Scipionis iurarunt, ſtipendiumque ad nomen ſingulis perſolutum.* Convenere ſinguli, armis ſuis, ceteroque militari habitu, induti, tamque compoſito ordine menſam Quaeſtoris cinxere, ut inſtructiſſimi, iamque in praelium ituri, exercitus ſpeciem darent. Nummos tunc ex aerario Tribuni militum (sss) adnumerabant

CAESARE. Vide ipſum *de B. C. Lib. III Cap.* 53. Duplicis frumenti militibus praeſidiariis dati meminit LIVIVS *Lib. VII.*

(qqq) ISIDORVS *Lib. I Orig. Cap.* 23: *In breviculis, quibus militum nomina continebantur, propria nota erat apud veteres, quae inſpiceretur, quanti ex militibus ſupereſſent, quantique in bello excidiſſent. - - - In ſtipendiorum quoque traditione propriae erant notae.*

(rrr) *Lib. XXVIII Cap.* 29.

(sss) Hinc *Tribuni aerarii* dicti, quorum meminit VARRO *de Lingua Lat. Lib. IV*: *A tributo erat pecunia, ut militi reddant, Tribuni aerarii*

rabant Quaestori, ut haberet, de quo sua militi stipendia persolveret. Huc traho verba ASCONII: (ttt) *Pecunia attributa, quae est stipendium militum, de aerario a Tribunis aerariis annumerari Quaestori solet.* Inde Quaestor *Dispensatores*, (uuu) seu *libripendes*, (xxx) acciri iubebat, ut, quod muneris ipsorum erat, legionibus aes militare appenderent. De his in promtu sunt verba PLINII: (yyy) *Quin et militum stipendia, hoc est, stipis*

T

dicti. Et FESTVS *de Verb. Sign. Lib. I: Aerarii Tribuni a tribuendo aere sunt appellati.*

(ttt) *Lib. IV in Verr.*

(uuu) FESTVS *Lib. IV: Dispensatores dicti, qui aes pensantes expendebant, non adnumerabant;* et VARRO *Lib. IV: Ab aere impendendo dispensator.* Apud REINESIUM vero *p.* 886 legitur Inscriptio: AVG. DISPENSATOR. AD. CENSVS. PROVINCIAE. LVGDVNENSIS. At, librae ope appensum olim, non, ut nostra aetate solet, adnumeratum, aes, atque inde locutiones illas, Scriptoribus priscis usitatas, *pendere poenas, expensae, impensae,* similesque alias, originem ducere, quis est, qui nesciat. Copiose haec persequentem, si placet, vide FRANC. HOTOMANNVM *de re numm. pop. Rom. p. m.* 40 *seq.*

(xxx) Apud PRISCIAN. *Lib. VI* haec ex CAII *Instit. Lib. I* excerpta leguntur: *Qui libram teneat, qui appellatur libripens.* Graecis, ut ex *Glossario veteri* apparet, ζυγοστάται dicuntur.

(yyy) *Lib. XXXIII Hist. Nat. Cap.* 3.

stipis pondera, dispensatores, libripendes, dicuntur. Solebant autem, ut omnia ex lege fierent, nec militum forte tumultus orirentur, ipsi Quaestoribus assidere Imperatores, et autoritate sua Quaestorum avaritiam compescere. Antiquioribus tamen temporibus non adeo semper prospectum militi Romano de stipendio fuisse, nec omnia ex lege gesta, docent frequentes militum de subtracto sibi stipendio querelae. (zzz)

XVI.

Certum veteres huic solennitati diem dixere, qui nunc annuus fuit, ut tempore Reipublicae, nunc quadrimestris, et trimestris, ut Imperatorum durante imperio, saepe etiam menstruus, semestris, et diurnus, (aaaa) prout diversae diversorum Ducum leges tulere. Diem illum non facile praeterire patiebantur milites sine soluto ipsis stipendio. Graviores saepe in castris turbae et seditiones exortae, ubi statuto tem-

(zzz) CAESAR *de B. C. Lib. III Cap.* 59.

(aaaa) Diurna sub Imperatoribus VALENTE et GRATIANO, nec non IVSTINIANO, fuit frumenti distributio, ut patet ex *l. 6 C. de Erog. milit.*: *Fortissimi ac devotissimi milites annonas et capita singulis diebus, aut certe competenti tempore, id est, priusquam annus elabatur, de horreis consequentur.*

tempore id ſibi negari viderunt legiones, quod ipſis ex lege debebatur. (bbbb) Quapropter ea ſemper praecipua Senatus Romani cura fuit, ne ulla militi querendi cauſa eſſet, ſed iuſtam is iuſto tempore laborum bellicorum mercedem caperet. (cccc) Saepe tamen his, qui turpe facimus commiſerant, poenae nomine ſtipendium negatum, idque *reſignatum*, nec non eos, qui exciderant hoc beneficio, *aere dirutos*, dixere veteres. (dddd) Sed

(bbbb) Exempla vide paſſim apud LIVIVM, inprimis *Lib. XXVIII.*

(cccc) Memorabile exemplum, unde haec, quae diximus, firmiſſimum robur accipiunt, VALERIVS MAXIMVS habet *Lib. VII Cap.* 6 §. 4. *C. autem Mario*, inquit, *et Cn. Carbone Coſſ. bello civili cum L. Sulla diſſidentibus, quo tempore non reipublicae victoria quaerebatur, ſed praemium victoriae res erat publica. SCto aurea atque argentea templorum ornamenta, ne militibus ſtipendia deeſſent, conflata ſunt.*

(dddd) VARRO *Lib. II de Vita Pop. Rom.*: *Cui datum non ſit* (ſtipendium) *propter ignominiam, aere dirutus eſt.* Et FESTVS *Lib. XVI de Verb. Sign.*: *Reſignatum aes dicitur militi, cum ob delictum aliquod iuſſu Tribuni militum* (*ne ſtipendium ei detur*) *in tabulas refertur. Reſignare enim antiqui pro ſcribere interdum ponebant.* Eiusdem verba ſunt *ibid. Lib. IV*: *Dirutum aere militem dicebant antiqui, cui ſtipendium ignominiae cauſa non erat datum: quod aes diruebatur in fiſcum, non in militis ſacculum.* Addo NO-

accidit etiam interdum, ut ſponte ſine ſtipendio militarent Romani; quod factum bello Punico ſecundo, cum ſumtus ſtipendiorum non ferret aerarium, ita quippe exhauſtum, ut ne Deorum quidem cultui ſufficeret. (eeee)

NIVM *de Propriet. ſerm. Cap.* 12: *Aere diruti appellabantur milites, quibus propter ignominiam ſtipendium, id eſt, merces menſtrualis, aut annua, quae eſſet in nummis aereis, ſubtrahebatur.* Vnde clara ſunt verba CICERONIS in *Verr. VII*: *Aleatoris Placentini caſtra commemorabuntur, in quibus cum frequens fuiſſet, tamen aere dirutus eſt*; itemque illa AVSONII in *Praef. ad Centonem Nuptial.*: *Et, quia ſub Imperatore meo tum merui, procedere mihi inter frequentes ſtipendium iubebis: ſin aliter, aere dirutum facies.* Vt vero, qui amiſerant ſtipendium, dicti ſunt *aere diruti*; ita illi, cui ſolvebatur continuo, ſimili formula, *procedere ſtipendium* dicebatur, ut patet ex modo adductis verbis AVSONII, nec non aliis LIVII *Lib. V*, et VALERII MAXIMI *Lib. II Cap* 7 §. 15, ubi et negati ob factum improbum ſtipendii exemplum occurrit.

(eeee) VALERIVS MAXIM. *Lib. V Cap.* 6 §. 8.



INDEX RERVM NOTABILIORVM.

A.

Angliae

Dis-

Pseudo-

De

H.


S.

S.

ERRATA TYPOGRAPHI.

Pag. 22 pro Cooſtantinopolitani l. Conſtantinopolitani.
38 pro Cantabtigiae l. Cantabrigiae.
39 pro C. P. l. CP.
ead. pro Bibliotheea l. Bibliotheca.
ead. pro 6595 l. 5595.
48 pro pocatior l. pacatior.
63 pro numerumqne I. numerumque.
64 pro BENIVW l. BENIVM.
65 pro Sexoniae l. Saxoniae.
68 pro omnihus l. omnibus.
72 pro expetebanti l. expetebant.
74 pro capſſendos l. capeſſendos.
79 pro Docemprimis l. Decemprimis.
84 pro diſpicit l. deſpicit.
ead. pro Callos l. Gallos.
86 pro FEAVII l. FLAVII.
91 pro VYTEMBOGARTONE l. VYTEMBOGARTONE.
97 pro goenas l. genas.
102 pro Inperii l. Imperii.
105 pro couſobrinum l. conſobrinum.
109 pro grraviſſimas l. graviſſimas.
ead. pro ſetvarent l. ſervarent.
139 pro Complectens l. complectens.
145 pro Poſtemo l. Poſtremo.
149 *not.* (b) pro Caenam l. Coenam.
151 pro bonores l. honores.
153 pro Geni l. Genio.
167 pro quatuluſcunque l. quantuluſcunque.
183 pro DRVSSILLAE l. DRVSILLAE.
198 pro tcuius l. cuius.
199 pro vivicumburio l. vivicomburio.
216 pro Coenotaphio l. Cenotaphio.
222 pro diſcrine l. diſcrimine.
234 pro Sɔriptores l. Scriptores.
ead pro peecare l. peccare.
249 pro halſama l. balſama.
251 pro eommendat l. commendat.





MENCK
DISSERT
LITERAR


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm